Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/iuriseccclesiasti0000lriv

Omaggio di affettuosa riverenza
L. Rivet SJ

IURIS ECCLESIASTICI PRIVATI SUPPLEMENTA

AUCTORE

L. RIVET S. I.

Ad usum privatum auditorum Universitatis Gregorianae

ALMA COLLEGE
348.71
LIBRARY
R525
Alma, California

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

5990

ROMAE 1911

IURIS ECCLESIASTICI PRIVATI SUPPLEMENTA

⁂

DE PERSONIS

De statu clericali et sacra ordinatione.

Praenotanda I. Ecclesia est Societas hierarchica. — Omnes homines ad ingrediendam Ecclesiam voluntate Dei sunt ordinati et vocati: habent proinde obligationem moralem eam ingrediendi. Plures tamen extra eam manent; hi Ecclesiae subiecti non sunt et in eos nullam iuridicam auctoritatem sibi vindicat (iuxta communissimam sententiam). Omnes autem qui validum baptismum accipiunt, Ecclesiae subiecti fiunt, talesque manent, etiamsi membra mortua evaserint ob gratiae amissionem vel etiam membra Ecclesiae esse cessaverint ob haeresim, schisma, apostasiam. Nemo enim est de corpore Ecclesiae nisi *externe* fidem eius profiteatur, sacramentis participet, hierarchiae subiiciatur.

Ecclesia vero non est societas *aequalium* qui forte per deputationem vel electionem quosdam suorum sibi praeficere poterunt, est *iure divino hierarchica* societas: Christus enim suis Apostolis eorumque successoribus potestatem tribuit alios fideles regendi et sanctificandi. Quod ad duplex munus implendum, duplex etiam existit hierarchia, Ordinis

ad sanctificandum, Jurisdictionis ad regendum. Quae duae hierarchiae, ambae institutionis divinae (1), inter se diversae, multipliciter tamen sunt connexae (2). Et de iure Ecclesiae communi, Jurisdictio ecclesiastica iis tantum concedi solet, qui aliquo gradu intra hierarchiam Ordinis sunt cooptati. Hi dicuntur *clerici;* qui vero extra hanc hierarchiam manent, *laici* nominantur.

II. Status laicalis.— *Status laicalis* intellegitur complexus iurium et officiorum his laicis competentium, vel ipsa haec categoria fidelium qui nullum gradum in Ordinis hierarchia obtinent. Huius status elementum constitutivum est baptismi valida susceptio, simul connotando negationem receptionis cuiuslibet Ordinis.

Iura laicorum sunt: sacramenta recipere — cum superioribus ecclesiasticis libere communicare — instructionem religiosam accipere.

Vicissim obligatione adstringuntur praeceptis Ecclesiae obtemperandi eamque defendendi diversis mediis pro temporum, regionum, morum varietate.

Status laicalis, quatenus charactere indelebili baptismi nititur, amitti nequit; etsi enim quis a corpore Ecclesiae separaretur, non totaliter cessaret eius erga illam dependentia (cf. Jus publicum, de Ecclesiae potestate in haereticos etc.).

III. Status clericalis. — *Clericus* ille est qui statui clericali sive hierarchiae ecclesiasticae est adscriptus, i. e. qui saltem aliqua ratione intra hierarchiam ecclesiasticam constitutus est.

Status clericalis intellegitur vel *clerus*, i. e. clericorum categoria, vel iurium et obligationum complexus, his clericis competentium. Aliquis fit clericus per quamdam initiationem, i. e. per ritum, per caerimoniam sacram quae lato saltem sensu Ordinatio dicitur. Hic ritus vel mera coerimonia est

(1) Trid. ses. 23, cap. 4, can. 7. Ben. XIV, de Syn. dioec., l. 13, c. 1, n. 2. Wernz, Ius Decretalium, t. II, n. 3.

(2) Cfr. de hierarchia ordinis et iurisdict. Wernz ib.

(tonsura), vel sacramentale aliquod (Ordines minores et probabilius subdiaconatus) (1), vel verum sacramentum (diaconatus, presbyteratus, consecratio epicopalis).

Praeter Ordinis potestatem variam pro variis Ordinibus, obtinet quilibet clericus iura quaedam (privilegia fori, canonis etc.) et fit habilis ad ecclesiasticam iurisdictionem obtinendam. Obligationes vicissim sortitur sive communes (v. g. ad vitae honestatem pertinentes) sive speciales pro ordine accepto.

Amitti nequeunt Ordines qui sacramento accipiuntur et characterem imprimunt; impediri potest tamen licitus illorum usus. Qui autem Ordines characterem non imprimunt et probabilius institutionis sunt mere ecclesiasticae, ii theoretice auferri possunt, practice nunquam auferuntur. Privilegia vero ab Ecclesia vel omnibus vel variis clericis concessa tolli possunt et in delictorum punitionem tolluntur.

Inter clericos ipsos varii sunt gradus, seu existit hierarchia Ordinis, ordinata personarum series. Quae hierarchia partim est *institutionis divinae*, partim *humanae institutionis* (2). Quod Ordo sit verum novae Legis sacramentum, quinam Ordines sacramenti naturam participent, quinam non, quaenam sit singulorum Ordinum materia et forma sive essentialis sive saltem de praecepto, has omnes quaestiones Theologiae Dogmaticae vel Morali tractandas relinquimus. Cum autem aliquis *clericus fiat* seu in statu clericali constituatur, et postea ad varios Ordines gradatim promoveatur, per *Ordinationem* (*late* vel *stricte* dictam), ad nos pertinet condiciones illas exquirere quae necessariae sunt ut Ordinatio valide et licite conferatur. Quae condiciones spectari possunt: 1° ex parte Ordinem conferentis; 2° ex parte accipientis; 3° ex parte actus collativi (3). *Va-*

(1) Wernz. t. II, n. 20.

(2) Wernz ib. n. 18.

(3) Quaestiones quae ad actum collativum pertinent, amandamus ad Theologiam Moralem quoad praxim, ad Scholam Textus quoad amplam tractationem. Conferri possunt Wernz t. II, tit. V, De ritu, tempore aliisque conditionibus S. Ordinationis, aliique auctores ibi citati.

lida dicitur Ordinatio quae suum effectum obtinet; *licita* insuper erit, si omnia iuxta Dei et Ecclesiae praecepta rite complebuntur.

De ministro validae Ordinationis.

(Wernz t. II n. 26, sq.; Gasparri De S. Ordinatione n. 774, sq.; Many De S. Ordinatione n. 27. sq.

Alia est quaestio de ministro *capaci* S. Ordinationis, i. e. de illo qui *valide* ordinat, alia de ministro *legitimo*, i. e. de illo qui *licite* Ordinationem confert. Insuper tum validae tum licitae Ordinationis habetur minister *ordinarius* vel *extraordinarius*.

Principium. — Minister *ordinarius* validae Ordinationis est *omnis* et *solus Episcopus* consecratus. « Hodie est unanimis omnium Theologorum sententia » (1) quod *omnis* Episcopus valide ordinat, dummodo ritum Ordinationis substantialem servet habeatque intentionem id faciendi quod facit Ecclesia. Acquiritur enim ordinandi potestas, simul cum indelebili charactere Ordinis episcopalis, proindeque amitti non potest. Quod sit *solus*, habetur ex conc. Florentino (Decr. pro Armenis) et ex Tridentino: « si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem.... A. S. (ses. 23 can. 7) ».

Minister *extraordinarius* quoad collationem *tonsurae et Ordinum minorum* est: 1° simplex sacerdos ex commissione R. Pontificis; 2° Abbas Regularis post acceptam ab Episcopo benedictionem, quoad suos subditos Regulares eosque tantum.

Subdiaconatum etiam sacerdos conferre potest, ut asserendum videtur ex privilegiis multis ante Tridentinum concessis et ex communi sententia. (cf. Wernz n. 27, II, c.).

(1) Gasp. l. c. n. 774.

Utrum *diaconatum* possit sacerdos conferre valde dubitatur: nec testimonium certum habetur de tali potestate unquam sacerdoti facta. Certe *ad ipsam validitatem* requireretur commissio R. Pontificis, sicut pro Confirmationis collatione, cuius delegatio, ex Christi voluntate, potestatem *compleret* quae *inchoative* et *radicaliter* in ipso Ordine presbyterali contineretur. (cf. Gasp. n. 799).

De potestate ordinandi *sacerdotem*, simplici presbytero factâ, nullum exemplum afferri potest et contraria est universa traditio. (cf. Many l. c. n. 59).

De ministro licitae Ordinationis.

(*Wernz t. II. n. 26. sq.; Gasp. l. c. n. 801. sq.; Many l. c. n. 27. sq.*)

Primis saeculis Episcopus competens fuisse videtur ratione *baptismi collati*, *domicilii*, et ipsius etiam *Ordiuationis collatae*. Saeculo XIII exeunte res accuratius determinari coepit. Clemens IV admisit titulos *originis* et *beneficii* (1), quibus Bonifacius VIII titulum *domicilii* addidit (2). Titulus *familiaritatis*, iam antiqua consuetudine passim receptus, admissus est a Tridentino (ses. 23 c. 9 de ref.) et ab Innocentio XII (Const. « Speculatores » 4 Nov. 1694).

Hodierna disciplina, ut in Tridentino effertur, haec est: « Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur », additis poenis contra illicite ordinantes et ordinatos. *Proprius* Episcopus magis stricte dicitur Episcopus loci *originis* vel *domicilii*, latius Episcopus ratione *beneficii* vel *familiaritatis*. Addi debet nunc Episcopus dioecesis cui aliquis *incardinaretur*.

Per vocabulum « *titulus* » hic intelligitur *causa*, *factum*, *actus* ob quem quis fit Episcopo subiectus, sicut *titulus iurisdictionis* intelligitur causa, factum, actus quo quis iurisdictionem in certas personas obtinet, *titulus proprietatis*, actus vel factum quo quis rei dominium acquisivit.

(1) Cap. 1 De temp. ordin. et qualit. ordin. in VI (I.-9).
(2) Cap. 3 h. t. in VI.

Inpraesentia consideratur titulus ex parte *ministri*, quatenus est origo, vel ratio potestatis ipsi in talem personam competentis per respectum ad conferendos Ordines.

Titulus originis. — Aliquis est subiectus Episcopi in cuius dioecesi natus est *modo normali* non *ex fortuito casu* (ratione itineris, mercaturae). Modo normali ibi natus esse dicendus est aliquis, ubi pater domicilium vel stabilem residentiam obtinebat (Gasp. l. c. n. 812. sq.). Quod si alibi casu fortuito natus fuerit, dioecesis originis ea est ubi tunc pater domicilium aut stabilem residentiam habebat; qua conditione deficiente, dioecesis nativitatis patris. Pro *illegitimo*, ad matris domicilium, residentiam vel dioecesim nativitatis attenditur. *Expositus* vel *derelictus* praesumitur natus ubi inventus est (Gasp. 824 sq.). Haec quidem generatim dicta sint, relictis variis complexioribus casibus, de quibus conferri possunt citati auctores.

Titulus domicilii. — Domicilium duo importat: 1°) actualem commorationem in aliquo loco, 2°) intentionem ibi manendi in perpetuum. Sed ad *titulum* domicilii aliquid amplius requiritur, nempe domicilium *qualificatum,* quod duplicem supra indicatam conditionem firmat: commoratio quidem adeo stabilis sit oportet ut decennali habitatione in loco manifestetur vel maioris partis bonorum translatione, addita notabili mora (triennii nempe) in loco; intentio manendi per iuramentum confirmatur de vero animo ibidem in perpetuum manendi. Pro his qui in minori aetate sunt constituti et nondum habent domicilium proprium, domicilium patris consideratur et quidem qualificatum, addito etiam iuramento (cfr. Wernz n. 28, not. 44; Many n. 36; contra Gasp. n. 833. qui necessitatem iuramenti minus certam dicit).

Titulus beneficii. — Ordinandus debet in dioecesi beneficium pacifice possidere, ad eius honestam sustentationem sufficiens, at non necessario inamovibile.

Titulus familiaritatis. — *Familiaris* Episcopi ille est quem in suo famulatu et servitio per triennium suis expensis aluit. Hunc ordinare potest, dummodo ei statim (i. e. intra mensem ab Ordinum collatione) beneficium conferat

ad eius congruam sustentationem sufficiens (Trid. ses. 23, c. 9, de ref.).

Titulus incardinationis. — Ad vitandas fraudes et abusus qui aliquando committebantur quando clericus in dioecesim a sua diversam admittebatur, decretum tulit S. Congr. Concilii, die 20 Iulii 1898 (1), quo negotium illud incardinationis accuratius determinatum est. Nequit aliquis novae dioecesi *incardinari* seu cooptari, nisi prius e propria dioecesi *excardinatus fuerit* absolute et in perpetuum, et quidem non nisi ob iustas causas, proprio Episcopo probatas. Hac excardinatione data, ut alter Episcopus eum suae dioecesi incardinare possit, debet ipsi constare: 1. de absoluta excardinatione ab alia dioecesi; 2. de natalibus, vita, moribus, studiis candidati, per opportuna testimonia ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus fuerit, praestita. Tunc 3. praestat clericus iuramentum « *ad instar* » i. e. quale exigitur pro titulo domicilii, quod nempe perpetuo in dioecesi degere intendat. Fiet tandem in scriptis incardinatio et quidem absolute et in perpetuum; poteritque demum Episcopus clericum ordinare sine alia conditione v. g. beneficii conferendi.

De incardinatione laicorum prodiit decretum S. C. C. (24 Nov. 1906) (2). Si laicus ordinari vult ab Episcopo non proprio eiusque dioecesis clero adnumerari, requiritur et sufficit ut ab Episcopo originis litteras dimissoriales obtineat quas ille ob iustas tantum causas et pro determinata dioecesi concedere poterit. Ante susceptam tonsuram, iurabit se perpetuo in nova dioecesi mansurum et servitium praestiturum. Quod praestare iuramentum et proinde tonsuram accipere ante maiorem aetatem prohibetur.

Scholion. — Si Episcopus proprius, iura quidem in suum subditum retinens, permittit ut ab alio Episcopo ordinetur, ei *litteras dimissoriales* dat. Quae confundendae non sunt

(1) Acta Apost, Sedis, t. II. p. 103; Many De S. Ordin. n. 67; Wernz n. 28. III, e.

(2) Acta S. Sedis t. 29, p. 600. sq. Cfr. Prummer Manuale iuris eccles. t. I, q. 59. Ojetti Synopsis 3 v. Laici.

cum litteris *excardinationis* quae etiam dicuntur *dimissoriales* quibus Episcopus, iuribus suis in subditum renuntians, eum e suo clero perpetuo dimittit.

Litterae *testimoniales* dantur in testimonium de ordinandi natalibus, aetate, moribus, immunitate a quovis impedimento canonico. Petendae sunt generatim ab Episcopo qui iam tonsuram aut alium Ordinem concessit et fere semper ab Episcopo *originis* et *domicilii*, insuper ab omni Episcopo in cuius dioecesi aliquis tantum tempus, saltem post pubertatem, permansit, ut ibi impedimentum canonicum contrahere potuerit (i. e. sex menses, immo tres tantum si militiam agebat).

De validae Ordinationis subiecto.

Sicut de ministro, etiam de subiecto Ordinationis duplex est quaestio: *validitatis* et *liceitatis*, seu de subiecto *capaci*, de subiecto *legitimo*.

Principium. Ecclesia nequit inhabilem reddere ad Ordines *institutionis divinae* valide suscipiendos, illum qui iure divino habilis est: mutaret enim divinam institutionem. Pro Ordinibus *institutionis ecclesiasticae*, etsi posset, non vult tamen tales constituere inhabilitates.

Subiectum *capax* Ordinationis est *omnis* et *solus vir* viator, valide baptizatus, sufficientem intentionem habens Ordines suscipiendi. Quod sit *solus vir*, habetur ex traditione et praxi constanti Ecclesiae; debet esse *valide baptizatus* vero baptismo aquae seu fluminis, qui solus est Ecclesiae ianua et reliquorum Sacramentorum fundamentum.

De requisita intentione haec dicenda veniunt (cfr. Gasp. De S. Ordin., n. 625 sq.). *Infantes* vel qui rationis usum nunquam adepti sunt nec positive dissentire valent, valide at prorsus illicite ordinantur. At non adstringuntur ad castitatem servandam, ad divinum Officium, etc. Unde completo aetatis suae anno decimo sexto, (vel usum rationis adepti), liberi erunt vel statum clericalem cum annexis obligationi-

bus eligere vel statum laicalem amplecti, manentibus quidem Ordinibus, at excluso ipsorum usu sublatisque obligationibus (Bened. XIV, Const. « Eo quamvis » pro Coptis, §§ 24 sq.). *Adulti* qui vel positive dissentiunt vel tantum ficte et simulate accedunt, invalide ordinantur; invalide etiam si, durante somno, ebrietate, amentia ordinarentur, nunquam habita intentione Ordines suscipiendi (cfr. Wernz l. c. n. 82). Si quis metum gravem iniustum passus ordinatur, consentiens tamen, valida est ordinatio. Probata vero metus gravis causa, sicut et infantibus ipsi datur optio statum clericalem vel laicalem eligendi (cfr. Gasp. l. c. n. 633 sq.).

De licitae Ordinationis subiecto.

Ad *licitam* Ordinationem plures requiruntur condiciones: status gratiae, immunitas ab irregularitatibus et censuris; immo positiva vitae honestas, recta intentio et perseverandi voluntas, varii scientiae gradus pro variis Ordinibus (Trid. sess. 23, cc. 4, 11, 18 de ref.; Wernz tom. II, n. 85 sq.). Praeter vocationem *externam*, qua Episcopus aliquem in clerum libere admittit, communiter requirunt auctores vocationem *internam*, i. e. positivam Dei ordinationem ad statum clericalem animae interne manifestatam.

His breviter dictis, quaestio unica nobis tractanda est de titulis Ordinationis.

Sensus vocis. — Ubi supra fuit quaestio de *titulo originis, domicilii*, etc., *titulus* intelligebatur causa, factum, actus quo quis Episcopi subiectus fiebat, et potius ex parte *ministri* spectabatur, quatenus ipsi ius dabat in talem ordinandum. Hic potius ex parte *subiecti* consideratur *titulus* quatenus aliquem competentem reddit ut Ordinationem postulare possit, seu ipsi fundamentum praebet quo innixus Ordinationem petere valeat, aliis condicionibus suppositis.

Sic spectatus, *titulus* Ordinationis definiri potest: *Canonica cautio de sufficiente et perpetua sustentatione pro sacro-*

rum Ordinum receptione. Ratio cur talis cautio exigatur, a Tridentino his verbis effertur: « Cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere..... » (sess. 21, c. 2 de ref.).

Historia. — (Cfr. Wernz n. 90 sq.; Gasp. De S. Ordin. n. 589). Primis temporibus ordinabatur aliquis ad servitium praestandum alicui « *titulo* », i. e. alicui *ecclesiae*, quae ipsi vicissim congruam sustentationem praestabat. Ordinationis *absolutae*, i. e. sine relatione ad aliquam ecclesiam, paucissima habentur exempla (v. g. S. Hieronymi, S. Paulini). Immo statuuntur aliquando poenae contra Episcopos *absolute* ordinantes.

Introductis beneficiis in ecclesiis, vox « titulus » saepe designavit beneficium in ecclesia (cap. 4 De Praebendis [III, 5], quod est Alex. III in Conc. Later. III, a. 1179); et loco *incardinationis* alicui ecclesiae ad praestandum ibi servitium, habita est illa *intitulatio* ad beneficii fructus accipiendos in sustentationem. Permisit Innocentius III ut clerici divites absque alio titulo ordinarentur; at non rari inde irrepserunt abusus ob clericos sine vocatione ordinatos vel pro lubitu vagantes. Quos abusus tollere volens Tridentinum, quin titulum « *patrimonii* » de medio tolleret, statuit ut tali titulo nullus ordinaretur nisi ob alicuius ecclesiae necessitatem vel utilitatem et cum officio in ea exercendo (1). Sed fatendum est contrariam consuetudinem omnino invaluisse.

Origo tituli « *paupertatis* » sequens fuit. Olim ad servitium divinum praestandum in monasteriis laicorum, ordinabantur clerici qui ipsi regulares seu monachi non erant, at quorum subsistentiae monasteria providebant. Quando postea ipsi monachi ordinari coeperunt, sufficienter de sustentatione provisi supponebantur ex monasterii redditibus, seu ex *paupertatis titulo* (cf. Gasp. l. c. n. 586 sq.).

Ex vigente disciplina *proprius* et *ordinarius* titulus est titulus *beneficii* (Gasp. n. 596). *Subsidiarii* tituli ob quos non

(1) Sess. 21, c. 2; sess. 23, c. 16 de Ref.; Gasp. l. c. n. 524.

deberet quis ordinari nisi ob ecclesiae necessitatem vel utilitatem, secundum prudens Episcopi iudicium, sunt *patrimonium* et *pensio*. Accedunt ex Apostolicis indultis varii tituli: *mensae, mensae communis, servitii in ecclesia, missionis*, etc. Pro Regularibus *ordinarius* titulus est *paupertatis* titulus.

Titulus beneficii. — Beneficium debet esse actu et pacifice possessum, perpetuum et inamovibile, ad honestam sustentationem sufficiens; cui non potest clericus ordinatus renuntiare nisi novo titulo huic subrogato (Trid. sess. 21, c. 2 de ref.).

Titulus patrimonii. — Patrimonium etiam actu possessum sit oportet, sufficiens ad sustentationem, bonis certis constans et ex se mansuris (non necessario tamen immobilibus). Determinanda ergo est pars bonorum clerici quae patrimonii titulum constituit; quae pars alienari nequit, nisi novo titulo subrogato (Trid. ibid.).

Titulus pensionis. — Pensio est aliquis census super bonis ecclesiasticis vel etiam non ecclesiasticis (1). Qui census iisdem condicionibus perpetuitatis, sufficientiae submittitur ac ipsum patrimonium, itemque alienari nequit (Trid. ibid.).

Tituli subsidiarii. — « Cum sacri canones prohibeant quempiam ex saecularibus promoveri, nisi titulo beneficii aut patrimonii aut pensionis, sequitur hos neotericos titulos non posse inservire nisi pro Ordinatione illorum qui hoc indultum a Sede Apostolica obtinuerunt » (Gasp. de S. Ordin. n. 669).

Titulus mensae est cautio ab aliqua persona aut communitate praestita (v. g. ab ipso gubernio civili in Austria), de clerico sustentando, cum ad officia ecclesiastica obeunda citra culpam inhabilis evaserit.

Titulus servitii in ecclesia vel *in dioecesi*, seu *obedientiae*, seu *administrationis* (qui tituli fere aequiparantur) est cautio ab ipsa dioecesi praestita de sustentando clerico qui ante Ordinationem promittit se ei perpetuo addictum mansurum.

(1) Sic tenet Wernz n. 92 et not. 39 contra Many, De S. Ord. n. 142 qui exigit censum ex bonis ecclesiasticis.

Titutus missionis est sustentatio ex ministeriis quae clericus in aliqua missione exercet vel exercebit. Hic titulus olim per indulta omnibus fere regionibus concedebatur quae S. C. de Prop. Fide subiectae erant. Praestabat ordinandus iuramentum de tribus: 1° quod Ordinem regularem sine licentia S. Sedis non ingrederetur; 2° quod perpetuum servitium praestaret dioecesi vel vicariatui cui adiiciebatur; 3° quod in Ordine regulari semel ingressus, debita cum licentia, operam suam navare pergeret in eadem dioecesi vel vicariatu. Cui titulo nunc substitutus est titulus *servitii ecclesiae,* in regionibus S. C. de Prop. F. subtractis, mutata paululum forma iuramenti (S. C. Consist. 12 Nov. 1908; A. Ap. Sedis I, p. 148 sq).

Titulus mensae communis conceditur saepe Congregationibus Religiosis, quorum alumni, sine indulto, iisdem titulis ordinari deberent ac saeculares.

Titulus paupertatis. — Est proprius titulus Ordinum Regularium stricte dictorum. At non valet pro novitiis nec professis votorum simplicium eorumdem Ordinum, praeter speciale indultum.

Ordinibus et Congregationibus Religiosis observandae sunt hodie praescriptiones in decreto « Auctis admodum » (4 Nov. 1892) contentae.

DE STATU RELIGIOSO.

I. De Status Religiosi natura.

« *Status in genere est stabilis vitae conditio ex causa permanente nec facile mutabili* » (Wernz, Ius Decretalium, t. III, n. 588). In Ecclesia distinguitur *status vitae communis* qui ad substantialem caritatem per mandatorum observantiam ordinatur, et *status christianae perfectionis*, sive *acquisitae* (ut est status Praelatorum curam animarum obtinentium), sive *acquirendae* qui idem est ac *status religiosus* tenditque ad perfectum caritatis gradum obtinendum. *Perfectio* quidem in amore Dei excellenti seu *perfecta caritate* consistit. Qui amor duo dicit: unionem cum amato, et (in hac vita) laborem pro eo susceptum. At contra illum amorem triplex militat concupiscentia quae est fortiter debellanda, nec potest quis illum amorem exercere qui saecularibus oblectamentis renuntiare recusat. Ceterum vix concipitur *stabilis tendentia* ad perfectionem aliter ac per promissionem Deo libere factam, seu per *votum*. Accedat tandem oportet *Ecclesiae auctoritas* ut erroris aut illusionis pericula caveantur.

Status ergo religiosus, qualis nunc intelligitur, definiri solet cum Schmalzgrueber et aliis: « Stabilis in communi vivendi modus fidelium ad christianae caritatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis perpetuis paupertatis, castitatis et obedientiae, ab Ecclesia approbatus » (1).

(1) Schmalzgrueber, Ius Ecclesiasticum Universum, l. III, tit. 31, n. 2.

Complectitur: 1° *observantiam trium consiliorum* paupertatis, castitatis et obedientiae, per quae praecipua removentur obstacula;

2° observantiam istam *votis firmatam*, et quidem votis externe nuncupatis, ut vere habeatur status religiosus externus et visibilis quo manifestatur omnibus mirabilis Ecclesiae sanctitas et pulchritudo;

3° *approbationem Ecclesiae* quae vota nomine Dei acceptat; et quamvis ad essentiam status religiosi stricte pertinere non videatur Ecclesiae approbatio, attamen ut status religiosus ad modum status *externi* et *publici* susciperetur, potuit Ecclesia praeviam approbationem exigere. Per traditionem et oblationem aliquis totaliter et perpetuo servitio divino se mancipat, Ordini quidem religioso immediate se tradens, et per Ordinem ipsi Ecclesiae et Deo; qui vicissim homo ab Ecclesia per Ordinem acceptatur et sic divino cultui et servitio non iam ex privata devotione tantum, sed ex publica Ecclesiae auctoritate ut persona sacra dedicatur (cfr. Wernz 590, III);

4° *vitam communem* quae ad obtinendum secure hunc finem aptior est et nunc prorsus ab Ecclesia exigitur ut Institutum approbetur.

II. De variis Religiosorum Institutorum speciebus.

A. — De diversis votis religiosis et duplici religiosa professione.

Votum *solemne* est votum *absolutum* et *perpetuum*, ita nomine Ecclesiae per legitimum superiorem acceptatum ut secum trahat *inhabilitates* ad quosdam actus morales, votis religiosis contrarios, sive *licite* sive etiam *valide* ponendos. Illud duplex elementum: 1° *traditio absoluta* et *irrevocabilis* ex utraque parte (voventis et Ordinis acceptantis); 2° *inhabilitates* illae semper adesse debent. Quod utrumque elementum iuxta probabiliorem sententiam ab Ecclesiae aucto-

ritate procedit. Nam « *voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa* » (1). Ad quod magis logice videtur consequi et ipsam traditionis irrevocabilitatem et inhabilitates *ex Ecclesiae institutione* ortum habere, non autem *ex natura rei* vel ex *iure divino* esse repetendas (2). Deficiente alterutro elemento, de lege communi deest votorum solemnitas et habetur tantum votum *simplex* quod potest esse vel *publicum* vel *privatum : publicum*, si nomine et auctoritate Ecclesiae aliqua ratione acceptatur, *privatum*, si acceptatione illa caret. Sine votis publicis nulla datur Congregatio proprie dicta, possunt tamen vota publica esse tantummodo *simplicia*.

Professio religiosa duplex est. Sensu stricto professio religiosa est professio *solemnis* cum *traditione absoluta* et *irrevocabili* voventis et *acceptatione absoluta* et *irrevocabili* ex parte Ordinis, iuncto « onere ipsum voventem perpetuo retinendi et alendi et tanquam filium iuxta regulas et proprium Institutum tractandi » (Wernz III, 640). Sensu lato professio est *votorum simplicium emissio*, seu actus quo quis publice et firmiter statum religiosum assumit, sive *religiosus* fit, quamvis non vere et stricto sensu *regularis* (nisi in Societate Iesu (3) et probabiliter in aliis Ordinibus Religiosis stricte dictis, durante triennio votorum simplicium).

N. B. — *Traditio* et *vota* inseparabiliter coniunguntur : nam vox professio dicit ipsam traditionem, at quae, ex Ecclesiae institutione, semper cum votis unitur.

Altera divisio professionis in *expressam* per verba, scripturam aliave signa intentionem externe sufficienter manifestatam, et *tacitam* quae, peracto tempore et adepta aetate requisita, manifestabatur exercendo actus professorum pro-

(1) Bonifacius VIII. cap. un. De voto et voti redemptione (III, 15) in 6°.

(2) Suarez, De Virtute et Statu Religionis, tract. VII, l. 2, c. 10 sq.; c. 14, n. 10. Wernz n. 654.

(3) Gregorius XIII, Const. « Ascendente » 26 Maii 1584.

prios, vix nunc est practici momenti. Pro viris enim saltem et pro professione solemni abrogata dici potest (1); pro ceteris vix adhuc in usu manet.

B. — Conspectus historicus.

Christus dici potest statum religiosum *etiam immediate* instituisse, eo quod tum verbis tum factis ad tria consilia evangelica, votis perpetuis firmanda, hortatus est. *Paupertas* enim apud Matth. XIX 29, 16. sq. et Luc. XIV 26, manifeste consulitur; *Castitas* apud Matth. XIX 12 (cfr. I Cor. VII 25 sq.); paupertas iterum apud Matth. XIX 21 sq. cum *obedientia directe* proponitur, *indirecte* vero *castitas* sine qua deest perfecta et stricta Christi imitatio: « Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus et habebis thesaurum in caelo et veni, sequere me ». Naturalis autem forma qua propositum firmatur talis vitae irrevocabiliter amplectendae est votum perpetuum. (Wernz II 599).

Apostoli aliquam perfectae vitae imaginem in apostolico collegio praeformarunt: bonis omnibus derelictis, paupertatem et castitatem exercebant, divino Magistro obedientiam praestantes. At non satis probatur eos vitam religiosam strictam, praesertim votis munitam, duxisse (2).

Saeculo III. apparent, praesertim in Aegypto, primi cultores vitae *eremiticae* (seu anachoreticae vel monasticae) quorum dux fuit *S. Paulus* eremita (234-347), praecipui autem promotores *S. Antonius* (251-356) et *S. Hilarion* († 371).

Vitam *coenobiticam* sub communi regimine promovit *S. Pachomius* († 345) et ad suam perfectionem adduxit *S. Basilius* (331-379) cuius regula adhuc in omnibus fere monasteriis Ecclesiae Orientalis observatur. Idem in Occi-

(1) Decretum « Sanctissimus », S. C. super Statu Regularium, 12 Iunii 1858. Cfr. Wernz III 641.

Piat, Praeleqtiones Juris Regularis t. I. q. 167.

(2) Contra Suar. De Virtute et Statu Religionis, tract. VII l. 3. c. 2. n. 9, 10, hanc sententiam asserentem.

dente praestitit *S. Benedictus* (480-543) qui « scripsit monachorum regulam, discretione praecipuam, sermone luculentam » (1) in qua illa distinctiva nota est quod stabili voti ligamine monasterio alicui monachi addicti sunt. Singula monasteria familias seu communitates independentes constituebant. Serius ad reformationem inducendam et simul perfectiorem unitatem stabiliendam, ortae sunt *Congregationes Benedictinae* ex plurium monasteriorum adunatione, inter quas eminuit *Cluniacensis*, saeculo X orta, quae saeculo XII ad duo millia monasteriorum extendebatur.

Aliae Congregationes: *Camaldulenses*, *Vallumbrosiani*, *Carthusiani*, *Cistercienses*, quamvis regulae S. Benedicti addictae, eam tamen sic suis *constitutionibus* et *consuetudinibus* modificaverunt, strictioris vitae desiderio, ut merito novos atque independentes Ordines constituere dicendae sint.

Canonici Regulares. — His omnibus regulis et reformationibus intacta servabatur vitae monasticae intentio, et *propriae perfectionis* fere exclusivum studium per orationem, obedientiam, laborem manualem aut intellectualem, quamvis non detrectarent monachi, si quando obedientia vel proximi necessitas eos urgeret, spiritualibus ministeriis sese devovere. Scopo igitur suo praecipuo differunt *Canonici Regulares* qui *vitam clericalem* et ministeria spiritualia cum *perfectionis propriae studio* associare conati sunt. Plures sancti Episcopi, post *S. Eusebium Vercellensem* († 371) et *S. Augustinum* clericis suis in domo episcopali vitam communem degentibus, normas quasdam sancte vivendi ad vitae monasticae imitationem tradiderunt. Immo in Galliis, regula a S. Chrodegango, Metensi Episcopo († 766) condita multumque propagata, a concilio quodam Aquisgranensi (a. 817) omnibus Canonicis praescripta fuit, qua tamen *vita communis, non vera vita religiosa cum votis* stabiliebatur.

At cum iam saec. IX et X multa Capitula vitam communem agere detrectarent et singulis Canonicis praebendae assignari inciperent, ex opposito vera vita regularis in qui-

(1) S. Greg. M. Dialog. l. 2. c. 36. Migne P. L. t. 66. c. 200.

busdam Capitulis introducta est, regulam praesertim S. Augustini imitans: inde orti sunt *Canonici Lateranenses* (a. 1154 approbati et confirmati) *Praemonstratenses* a S. Norberto (a. 1120) fundati.

Ordines militares. — Eodem saec. XII fundati sunt *Ordines militares* ad defendendam Terram Sanctam, Hispaniam etc. contra Mahumetanos. Praecipui fuerunt *Templarii* qui a. 1118 fundati, a. 1312 per Clem. V suppressi sunt; *Ordo S. Ioannis Hierosolymitani* (postea *Equites Melitenses* dicti) a. 1118, *Equites Teutonici* a. 1190 fundati, qui duo soli Ordines adhuc cum substantia status religiosi, mutato scopo, remanent.

Ordines mendicantes. — Saeculo XIII, quo tempore maximam auctoritatem et externum splendorem obtinuit Ecclesia catholica, foecunditatem etiam internam ad omnia bona manifestavit. Inde *Ordines mendicantes* ortum habuerunt, quorum scopus erat *vitam pauperem* etiam *in communi* agere et genus quoddam vitae, *contemplatione* et *sacris ministeriis mixtum*, agere. Si spectetur tempus solemnis approbationis, sequens existit ordo inter quatuor Ordines qui vulgo Quatuor Religiones Mendicantium audiunt: *Fratres Praedicatores, Minores S. Francisci, Carmelitani, Eremitae S. Augustini.*

Ordo *Fratrum Praedicatorum* qui primo (a. 1216) ut Ordo Canonicorum Regularium approbatus erat, post mortem sancti Fundatoris (a. 1221) in veram Mendicantium Religionem commutatus est. *S. Franciscus Assisiensis* († 1226) *Ordinem Minorum sub uno Ministro Generali in veram et universalem Societatem Religiosam coadunatum* fundavit; qui Seraphici Patriarchae Ordo viva voce ab Innoc. III (a. 1209) approbatus, solemniter ab Honorio III paulo post S. Dominici Ordinem confirmatus est (per Const. « Cum dilecta » et « Solet » aa. 1219 et 1223). *Carmelitani*, attento tempore approbationis ab eodem Honorio III (a. 1226), tertium locum obtinent; qui a. 1247, auctore Inn. IV, vitam eremiticam in coenobiticam mutaverunt. Quartus Mendicantium Ordo ex variis particularibus Congregationibus, regulam S. Augu-

stini profitentibus, in unum coniunctis coaluit, sub nomine *Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini* et sub unius Prioris Generalis auctoritate (a. 1255 et 1256 sub Alex. IV).

Quibus quatuor Mendicantium Ordinibus accesserunt postea *Servitae B. M. Virginis* ab eodem Alex. IV (a. 1256) approbati; necnon numerandae sunt variae divisiones et reformationes Ordinis Minorum, inter quas eminent Capuccini, a. 1526 a Matthaeo Baschi fundati, ut alios bene multos Ordines praetermittamus (1).

Clerici Regulares. — Novis difficultatibus et periculis nova subsidia Dei Providentia suppeditavit. Vastis enim Americae regionibus evangelizandis, Europae nationibus contra errores Lutheri et Calvini defendendis, *Clerici Regulares* auxilium praestiterunt qui *professioni religiosae clericalia munia* in universum coniungere cogitarunt.

Primo loco numerandi sunt *Theatini*, a. 1524 a S. Caietano et Petro Caraffa fundati (qui postea Paulus IV fuit); *Clerici Regulares S. Pauli Decollati*, vulgo *Barnabitae*, quorum Pater fuit S. Antonius Maria Zaccaria (a. 1533); *Somaschi* S. Hieronymi Aemiliani a Paulo III a. 1540 approbati sunt, qui eodem anno (27 Sept.) per Const. « Regimini militantis », *Societatem Iesu* a S. Ignatio fundatam, in veram ac formalem Religionem erexit.

Quibus adnumeranti essent plures Ordines qui initio piam tantum societatem vel votorum simplicium Congregationem constituerunt, paullatim ad Ordinis Religiosi stricte dicti naturam elevati sunt, inter quos *Clerici Regulares ministrantes infirmis* S. Camilli, *Clerici pauperes Matris Dei Scholarum piarum* (vulgo Scolopii) a S. Ios. Calasanctio fundati.

Congregationes votorum simplicium. — Congregationes Religiosae in quibus sola vota simplicia emittuntur, ad terminos iuris antiqui et S. Pii V Constitutionum, vitae religiosae essentia destitutae, immo prohibitae videbantur.

(1) Inter quos sunt Mercedarii, Trinitarii, Minimi S. Francisci de Paula, Hospitalarii S. Ioannis de Deo.

Paullatim mitior sententia praevalere coepit, postea tolerantia, dein favor S. Sedis accessit, unde a saec. XVII non sine magno animarum fructu multiplicatae sunt. Praeter *Fratres Scholarum Christianarum* qui a. 1679 a S. Ioa.-Bapt. de la Salle fundati, Bened. XIII approbationem a. 1724 nacti sunt, notandae sunt *Congregatio Clericorum Excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C.*, sive *Passionistarum* et *Congregatio S.mi Redemptoris* sive *Redemptoristarum* vel *Liguorianorum.* Prima a S. Paulo de Cruce a. 1738 fundata, altera a S. Alphonso de Liguori a. 1732; utraque postea privilegio plenae exemptionis donata fuit.

Saec. XIX multae exortae sunt Congregationes virorum (clericorum vel laicorum) et mulierum, pro variis finibus educationis christianae, caritatis, Evangelii propagationis, quarum plures magno sociorum numero et servitiis Ecclesiae praestitis insignes evaserunt.

Piae sodalitates. — Inde a saec. XVI multiplicatae Piae Sodalitates sub simpliciori forma et minoribus obligationibus adstrictae, cum adiutorio tamen vitae communis, adiunctis etiam votis privatis vel temporaneis, vel promissione obedientiae; inter quas *Oratorium S. Philippi Nerii*, *Congregatio Presbyterorum Missionis* sive *Lazaristarum* et *Sorores a Caritate* sive *Filiae S. Vincentii a Paulo.*

C. — Variae Status Religiosi divisiones.

« Omnes Ordines Religiosi profecto conveniunt in *substantia status religiosi,* i. e. in fine primario et generali, atque *mediis essentialibus.* Qui finis primarius et generalis consistit in intendenda perfecta caritate erga Deum et proximum. Media autem essentialia habentur in renuntiatione saeculi per tria vota traditione firmata, qua quis in vita communi se totum mancipat divino cultui atque servitio » (Wernz 592).

Differunt ergo Ordines Religiosi per finem proximum et per media secundaria quibus Deo et proximo inservire intendunt, quae aliquando ita inter se sunt similia ut potius

numero et *regimine* quam *specifico* quodam *discrimine* differant Ordines, saepe vero *omnino diversa* sunt: magna enim diversitas existere potest vel ob varias hominum necessitates spirituales aut temporales, vel ob varia temporum et regionum adiuncta, unde plane rationabilis et laudanda est Ordinum multiplicitas, quam ceterum Ecclesiae est intra iustos limites continere.

Variae Ordinum Religiosorum divisiones a variis traduntur (Wernz III 592 sq. Piat t. 1, q. 30 sq. Verm. I n. 75 ss.). Distingui possunt Ordines; 1° spectata *essentia vitae religiosae*, ex varietate votorum quae in his emittuntur; 2° ratione *finis proximi*; 3° ratione *mediorum accidentalium* quibus ad finem tendunt; 4° ex parte *regulae* quam profitentur; 5° ex parte *regiminis interni* et *externi*.

I. **Spectata ratione formali seu essentia vitae religiosae.** — Habetur primo loco status religiosus *completus*, *proprius*, *stricte dictus* in quo tota essentia vitae religiosae habetur, cum *traditione* et *acceptatione* utrinque *absoluta* et *irrevocabili* et *inhabilitatibus* connexis.

Qui talem vitam religiosam sequuntur sunt *Regulares* stricte dicti et constituunt *Religiones formales*.

Venit postea status religiosus adhuc *completus* et *proprius*, at *minus stricte dictus*; in quo tota essentia vitae religiosae adhuc reperitur cum traditione et acceptatione *cui deest* saltem ex una parte *absoluta irrevocabilitas*. Vota sunt *publica* i. e. nomine Ecclesiae a Superioribus Ordinis acceptata. Talia Instituta aptius dicuntur *Congregationes Religiosae* quam *Ordines Religiosi*. Tandem habetur status religiosus *incompletus*, *late dictus*, in quo tota status religiosi essentia non habetur qualis saltem nunc ab Ecclesia ordinatur: deficit enim unum aut plura ex requisitis elementis, vel unum aut alterum votum, vel perpetuitas (ut apud Sorores a caritate) vel vita communis, vel acceptatio votorum nomine Ecclesiae (ut apud Lazaristas). Aliquando sola vita communis sine votis habetur (Oratorium S. Philippi), aut cum simplici obedientiae iuramento (Patres Albi). Hae

societates dicuntur *Congregationes Saeculares* vel *Piae Sodalitates.*

II. Ex fine proximo seu vitae genere distinguuntur Ordines *contemplativi*, *activi vel mixti. Contemplativi principaliter* et *ex professo orationi* et rerum divinarum *contemplationi* vacant (Cistercienses, Camaldulenses, Carthusiani) *Activi principaliter* ad opera misericordiae potissimum corporalis exercenda instituti sunt (Mercedarii ad captivorum redemptionem, Militares, Hospitalares). *Mixti* utramque vitam *per se* et *principaliter* pari quadam ratione iungunt, ministeriis potius spiritualibus activitatem suam impendentes (Canonici Regulares, Ordines Minorum, Praedicatorum, Soc. Iesu).

III. Ratione mediorum seu ex varietate *exercitiorum* et *studiorum* distinguuntur Ordines *clericales*, *monachales*, *mendicantes*, *militares*, *hospitalares*. Ordines *clericales* ex *primaeva* et *canonica* institutione *principaliter* ordinantur ad ministeria clericorum propria (fere cum Ordinibus mixtis convertuntur). Ordines *monachales* vi *primaevae institutionis principaliter* ad vitam contemplativam et solitariam ordinantur, exclusis clericorum ministeriis nisi forte ex speciali causa aut necessitate, vel ad summum *secundario loco* ea assumentes (Monachi S. Basilii, S. Benedicti et Contemplativi). Ordines *mendicantes* mixtam vitam agunt, iuncto *vi proprii Instituti* exercitio *paupertatis* etiam *in communi*. Quod exercitium *per se* bonorum immobilium possessionem excludit vitamque ex eleemosynis sustentatam inducit, quem rigorem Tridentinum emollivit permittens bona immobilia in communi possideri (1).

IV. Distinctio Ordinum ex parte regulae. — Sunt Ordines qui uni ex *quatuor antiquis regulis* adhaerent, et sunt qui proprias sequuntur *constitutiones* vel *regulas* ab his regulis distinctas.

(1) Ex gradu quo illud Tridentinum privilegium participant, distingui possunt etiam varii gradus inter Ordines Mendicantes. (Cfr. Wernz 597).

Regulam *S. Basilii* sequuntur fere omnes monachi orientales.

Regulam *S. Benedicti* adoptarunt plus minusve modificatam Camaldulenses, Cistercienses, Olivetani (cf. conspectum histor.).

Regulam *S. Augustini* sequuntur Canonici Regulares, insuper Theatini, Somaschi, Dominicani, Servitae, Hospitalares S. Io. de Deo pluresque Congregationes hospitalares utriusque sexus, necnon Moniales S. Ursulae.

Regula *S. Francisci* triplex existit. *Prima regula* observatur a viris (Minoribus de Observantia, Conventualibus, Capuccinis); *secunda regula* a Clarissis; *tertia* a Tertiariis qui, viri vel feminae, pie in saeculo vivere volunt, quibus adiungendi sunt Tertiarii, qui vitam communem adoptantes, veras Congregationes Religiosas efformaverunt.

V. Ratione regiminis interni distinguuntur Ordines qui per Superiores *variis gradibus* distinctos et *uni supremo Moderatori* subditos gubernantur, et illi qui ex monasteriis ab invicem independentibus constant. Primi in *unam societatem* universalem et *stricte iuridicam* coalescunt; alii *vinculo* tantum *morali* uniuntur.

Ex parte externi regiminis, i. e. subordinationis erga Superiores ecclesiasticos qui extra Ordinem constituuntur, distinguuntur Ordines *exempti* et *non exempti*. Priores R. Pontifici *immediate* subiiciuntur et a iurisdictione episcopali sunt immunes praeterquam in casibus a iure exceptis quibus ordinariae vel delegatae potestati eius subduntur. Alii manent Episcopis subiecti, praeter quasdam *interioris regiminis* dispositiones pro Congregationibus quae a S. Sede saltem *Decretum laudis* obtinuerunt. Exempti sunt virorum Regularium Ordines sub unico capite, non mulierum nisi viris Regularibus subditae existant (cfr. infra de Ordinum Religiosorum exemptione).

III. De Institutorum religiosorum approbatione et de conventuum erectione.

A. De Institutorum approbatione.

Praenotanda. — Ecclesia potestatem habet in *regendo Statu Religioso.* Sicut enim *in foro interno* homines in via salutis et perfectionis et in cultu Deo reddendo dirigit, sicut etiam *externam religionem* et *cultum* regit, sic extenditur potestas eius in illum externum vivendi modum qui *in ordine spirituali* et *supernaturali* supra communem fidelium statum continetur (cfr. Piat Prael. Iuris Regularis t. I q. 18).

Certe requiritur *saltem* ut Ecclesia aliquam formam Status Religiosi non prohibeat: fieret enim prorsus illicita, status vero perfectionis illicitus et ab Ecclesia prohibitus repugnat.

Requirituine insuper *positiva Ecclesiae approbatio?* Est quaestio inter auctores valde agitata. Videtur probabilius dicendum positivam illam approbationem *ex natura rei,* vel *ex iure divino positivo* non requiri, sed pertinere tantum ad *ius positivum humanum.*

At dubium esse nequit Ecclesiam *posse* talem approbationem exigere eamque ex disciplina vigente *de facto* exigit [1] (Vermeersch De Religiosis Instit. et Pers. t. I n. 27. 4).

De gradu approbationis requisitae. — Approbatio *Ordinis Religiosi stricte dicti* cum *votis solemnibus* reservatur *Romano Pontifici* vel *Concilio Oecumenico.* Unde nec *privata fidelium voluntate* nec *Episcoporum auctoritate, licite* vel *valide* institui potest. Ex hodierna praxi requiritur *praevia* et *expressa approbatio* Religionis ut *formalis Religionis votorum solemnium* a *Sancta Sede* prolata. Haec est sententia communis [2]. Consideratur enim haec approbatio ut *causa* quaedam *maior* proindeque Sedi Apostolicae reservata.

Ad erigendam *Congregationem Religiosam votorum sim-*

[1] Wernz Ius Decretalium III 590. III et IV. Bouix De Iure Regularium t. I. p. 57 sq. Piat l. c.

[2] Wernz ib. 610. Piat q. 21. Verm. n. 67, 69.

plicium, ex hodierna disciplina *sufficit* at *requiritur Episcopi* approbatio. Haec *sufficit*, cum regulae Iuris Decretalium quae approbationem pontificiam exigebant, plane in desuetudinem abierint, imo S. Sedes talia Instituta approbare nunc non soleat nisi postquam de licentia Ordinarii loci erecta fuerint et experimento sat diuturno comprobata (1).

At *requiritur* omnino ex disciplina vigente et ad tenorem Const. « Conditae a Christo » 8 Dec. 1900 cap. I n. 1 : « Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere quam leges eius constitutionesque cognoverit itemque probaverit ».

Variae normae Episcopis praescribuntur in approbatione novi Instituti, si iudicaverit illud esse approbandum et non potius utendum esse Instituti iam existentis opera. Diligenter ipse inquirere debet 1) quomodo ad *finem primarium cuiusvis Congregationis* tendatur, i. e. ad sanctificationem per tria vota substantialia; 2) quis sit *finis eius proximus*, seu *secundarius* (v. g. puerorum institutio, infirmorum cura); utrum is finis *recte* et *accurate determinatus sit;* 3) utrum *media apta* eligantur ad obtinendum tum primarium finem tum secundarium.

Immo regulas quasdam prae oculis habeat ut quibusdam Institutis *cautius*, *difficilius* licentiam existendi det vel etiam *omnino deneget* ob finem specialem quem sibi proponunt. (Const. « Conditae » cap. I n. III. Normae S. C. Episc. et Regul. pro approbandis novis Institutis votorum simplicium art. 14, 15, 17, 52. Wernz 610).

Approbata ab uno Episcopo Congregatio Religiosa extendi potest ad alias dioeceses, praecedente consensu tum Episcopi loci originis, tum Episcopi novae fundationis (2).

(1) Per Decretum « Dei Providentis » (16 Iulii 1906), statuit Pius X ut Ordinarii ad condendum vel approbandum novum Institutum religiosum prius licentiam S. Sedis obtinuerint, quae licentia nullo modo approbationem Instituti continet (Wernz 590 not. 15).

(2) Verm. I 97. Battandier, Guide canonique pour les Constitutions des Instituts à vœux simples n. 16. Bastien Directoire canonique n. 16.

Congregatio ab Episcopo approbata, etsi forte in pluribus dioecesibus diffusa, *Institutum dioecesanum* manet; ut approbatione S. Sedis donetur, per quatuor distincta gradus procedi solet.

1) Datur Decretum *laudis* et *commendationis* novi Instituti, quo concesso fit *eo ipso iuris pontificii* quoad certas exemptiones ab Episcopi potestate.

2) Conceditur Decretum *approbationis* et *confirmationis* Instituti, dilata constitutionum approbatione.

3 et 4) Approbantur constitutiones *ad tempus* et per *modum experimenti* (v. g. ad tres vel quinque annos); et tandem *definitive* et *constitutiones* et *ipsum Institutum* approbatur.

Qui gradus non ita stricte observantur ut unus aut alter, praesertim primus, interim non praetermittatur.

De innovatione Ordinum et Congregationum. — *Innovatio* hic intellegitur mutatio in *natura* vel *legibus* Instituti. *Ordines Religiosi* stricte dicti nequeunt *absque S. Sedis licentia* nec ad Congreg. votorum simplicium reduci, nec exemptione ab episcopali potestate privari, nec finem secundarium seu proximum vel media substantialia mutare, nec tandem in plures Religiones dividi aut vicissim in unicam ex pluribus coalescere (Wernz 611).

Institutum quod per Decretum laudis *iuris pontificii* factum est, nequit mutationem ullam in constitutionibus inducere nec pati *absque S. Sedis auctoritate* (1).

Si Institutum ad plures dioeceses extendatur, « nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu quorum in dioecesibus sedes habeat » (Const. « Conditae » c. I n. V).

Exstinctio Instituti. — *Ordines stricte dicti*, immo et *Congregationes iuris pontificii* a *S. Sede sola* supprimi possunt. *Congregationes dioecesanae,* si in unica dioecesi exstant, ab *Ordinario loci* tolli possunt. Si ad plures extendantur dioeceses « ne exstinguantur, nisi gravibus de causis et

(1) Wernz 611. Batt. Guide can. n. 16. Const. « Conditae » cap. II n. II.

consentientibus Episcopis quorum in dicione fuerint. Singulares autem domos Episcopis in sua cuique dioecesi tollere fas est » (« Conditae » c. I n. IV).

B. De conventuum erectione.

Primis temporibus erectio novi conventus ex *tacita* quadam *Episcopi approbatione* fieri potuit. Cum autem ex arbitraria fundatione vel suppressione conventuum incommoda et abusus irrepsissent, statuit Conc. Chalcedonense (a. 451) can. 4, ne quis monasteria construeret sine *Episcopi conscientia* seu *cognitione,* simul prohibens (can. 24) ne semel exstructa supprimerentur aut denuo saecularia habitacula fierent.

Quae lex de necessaria Episcopi licentia ius commune mansit usque ad Constitutionem Bonif. VIII (a. 1298), quae omnibus *Mendicantibus* prohibuit, sub poena nullitatis, ne absque *speciali* et *expresso S. Sedis beneplacito* nova monasteria reciperent vel recepta mutarent aut alienarent (1).

Licentiae episcopalis necessitatem ad omnia monasteria virorum et mulierum erigenda ursit Tridentinum (ses. 25, c. 3, de Regul.) nec non plures RR. Pontifices.

S. Sedis licentia maiori rigore requisita est ab Innoc. X Const. « Instaurandae » 15 Oct. 1652, pro Italia et insulis adiacentibus, extentis ad singula monasteria omnium Religionum prohibitionibus a Bonif. VIII solis Mendicantibus impositis. Inde per praxim et stylum Curiae Romanae invecta est necessitas *Apostolicum beneplacitum* petendi ad erectionem *novae domus religiosae ubique terrarum.* Et haec est canonistarum communior sententia, quamvis iuxta plures nondum res definita (2), cui valida accessit confirmatio ex Const. Leonis XIII « Romanos Pontifices » 8 Maii 1881.

(1) C. unic. de excess. Praelat. (V. 6) in 6°.

(2) Piat t. II q. 323; Wernz 616. Pro mitiore sententia Verm. t. I. 109 not. 5, 6.

Si de *Instituto mere dioecesano* agitur, *requiritur* et *sufficit* Episcopi dioecesani licentia (Const. « Conditae » c. I n. II).

Ex eadem Constitutione (c. II n. III) requiritur et sufficit eadem Episcopi licentia ad novam domum Instituti iuris pontificii erigendam. Sed reservari solet S. Sedi erectio domus noviciatus vel eius translatio (Normae n. 271, 272) et in locis missionum ad novas domus aperiendas exigitur licentia S. C. de Prop. Fide (ib. n. 306).

Ut autem Episcopus permittere possit novae domus erectionem, variae condiciones requiruntur.

Si agitur de domo Ordinis Religiosi stricte dicti, videat oportet utrum congrua sustentatione pro duodecim Religiosis ex reditibus et eleemosynis haberi possit. Secus pro Monialibus non permittat (haec est praxis constans, sin minus lex quaedam generalis). Pro viris non idem viget rigor: at domus manet non formata et per se ab episcopali iurisdictione non exempta (cfr. infra de Exemptione) (1).

Debet etiam Episcopo constare iura aliorum, speciatim Regularium, non laedi. Unde si res dubia manet, convocare debet Superiores domuum Regularium ipsius loci vel viciniarum et eorum requiritur consensus — necnon et aliorum qui *interesse habent* inter quos possunt esse loci parochi.

Lex de duodecim certe pro Congregationibus votorum simplicium non urget. Normae (n. 307) quidem statuunt ut « nulla domus erigatur, nisi in ea conveniens numerus sororum (vel Religiosorum) collocari et sustineri potest »; numerus autem nullus definitur, quamvis desiderandum videatur ut in conventibus proprie dictis saltem sex inveniantur (Wernz 622) ad facilius disciplinam, ordinem et fervorem conservandum (2).

Innovatio conventuum. — Mutatio quae excedit regimen mere internum domus, easdem formalitates requirit ac nova erectio, v. g. Ecclesiae aedificatio — secus si non excedat.

(1) Laurentius Institutiones Iuris Ecclesiastici n. 784 Wernz 620.
(2) Batt. Guide canon. 429.

Exstinctio conventuum. — Domus deseri, dissolvi, alienari nequit nisi in casibus a iure determinatis, vel ex Indulto apostolico. Episcopus nihil potest in domum quae independens sit vel Ordinis stricti aut Congregationis iuris pontificii membrum.

Tollere potest in sua dioecesi domum Instituti dioecesani, etiam per varias dioeceses dispersi, observatis ecclesiasticis legibus de alienatione (1).

IV. De Religiosorum exemptione et Episcopi potestate in exemptos.

Praenotanda. — Quaestio *exemptionis Ordinum Religiosorum* pertinet ad *externum* eorum *regimen.* Regimen Instituti Religiosi intellegitur exercitium potestatis per varios gradus distributae in ipsius Instituti eiusque sodalium utilitatem et in promotionem specialis finis quem intendit Institutum (2). Regimen *interne* exercetur per Superiores religiosos, *externe* per Superiores ecclesiasticos qui extra ipsum constituuntur. Unde definiri potest regimen externum: « Religiosorum relationes erga potestates ecclesiasticas saeculares, uti erga Episcopum, parochum etc. » (3).

Exemptionis definitio et divisiones. — Exemptio est « *liberatio aliqualis* vel *totalis a potestate Episcopi* vi cuius *directa subiectio erga Romanum Pontificem* constituitur (4).

Exemptio est *localis*, *personalis* aut *mixta: localis,* si *directe* et *praecipue locus solus* Episcopi iurisdictioni subtrahatur, *personae* vero *indirecte* tantum, quatenus in loco sunt, ita ut simul cum adventu vel discessu incipiat et desinat ipsarum exemptio; *personalis* si *ipsaemet* et *solae* eximantur *personae,* ubicumque versentur; *mixta*, si *personas* simul et *loca* respicit. Talis est Ordinum Regularium exemptio.

(1) Wernz 624 cum notis 178, 179.
(2) Laurentius Instit. Iuris Eccles. n. 840.
(3) Prümmer Manu. Iuris Eccles. II p. 194.
(4) Ib., q. 196.

Exemptio est *activa* vel *passiva: activa* quidem quando Praelato exempto iurisdictionem tribuit in aliquod territorium eiusque clerum et populum, sive territorium maneat in aliqua dioecesi sive extra dioecesim, et dicitur tunc territorium *Nullius* (dioecesis). *Passiva* exemptio solas personas exemptas et ipsum monasterium respicit, nullam tribuens Praelato iurisdictionem in clerum et populum vicinum. Talis etiam solet esse Regularium exemptio.

N. B. — Exemptionis nomen dari non solet illi partiali independentiae regiminis interni quam obtinent Congregationes iuris pontificii (Const. « Conditae » cap. II n. I).

Historia [1]. — Primis temporibus Episcopis plane subiiciebantur monasteria quae ceterum inter se independentia erant et membris fere laicis constabant. Aucto postea numero Religiosorum sacerdotum, ex ipsius Episcopi concessione et auctoritate Superior quidam sacerdotio insignitus Fratres gubernabat. Cum autem non raro in illud regimen internum ultra debitos limites Episcopi sese ingererent, ad Romani Pontificis protectionem Monachi recurrerunt, quae *specialis protectio* nondum *vera exemptio,* ipsi tamen viam parabat. Quandonam autem ad veram exemptionem perventum fuerit non satis constat. Iuxta Van Espen saec. XI, iuxta alios multo ante, imo forte saec. VI quo inveniuntur in Africa documenta exemptionis ab Episcopi dioecesani iurisdictione cum subiectione Primati Carthaginiensi, et post S. Gregorium M. non desunt Indulta quibus quaedam conceditur exemptio cum directa a S. Sede dependentia; quod exemptionis privilegium paullatim ad Ordines Religiosos extentum, saeculo XII ad communem Mendicantium conditionem pertinuit.

At contra illud privilegium, praesertim post magnum Occidentale Schisma, vehementer reclamatum est: abusus enim non pauci irrepserant in illius applicatione. Unde necessarium fuit moderationem quamdam adhibere, id quod post varios Romanos Pontifices Concilium Tridentinum

(1) Wernz t. III 701; t. II 817. Verm. I 363.

praestitit, restituta Episcopis *ordinaria* vel *delegata in Regulares* auctoritate quoad bene multa negotia.

Viceversa multiplicatis praesertim a saec. XVI exeunte Institutis votorum simplicium, *immunitas* quaedam seu *partialis exemptio* (imo quibusdam exemptio *plena*) concessa est.

Tandem Leo XIII, per Const. « Conditae » 8 Dec. 1900, distinctione inter *dioecesana Instituta* et *Congregationes iuris pontificii* stabilita, relationes inter Episcopos et duplicem illam Institutorum speciem terminis accuratioribus et lege universali definivit.

Exemptionis convenientia et utilitas. — *Radix exemptionis* seu *principium* cni innititur est *Romani Pontificis suprema* et *immediata in omnes fideles potestas*. Unde sicut varia negotia sibi reservare valet, sic certas personas immediatae et exclusivae suae iurisdictioni subiicere potest: qua reservatione non *tollit* at pro potestate sua Episcoporum iurisdictionem *restringit*.

Rationes huius *exemptionis* ut ex Const. Leonis XIII « Romanos Pontifices » 8 Maii 1881 et « Conditae » deducuntur, sunt praesertim Ordinis Religiosi (vel Congregationis), et eius interni regiminis *unitas, actionis* et *disciplinae uniformitas*. Cum ceterum post Tridentinum fere ad *regiminis interni* independentiam reducatur exemptio, et *externum regimen* quoad fere omnia Episcopo, saltem ut S. Sedis delegato, subiiciatur, nulli iustae querelae ansam dare potest exemptionis privilegium; nec difficile vitabuntur conflictus, si moderatus vel auctoritatis episcopalis vel privilegiorum Ordinis usus habeatur.

Habitudo variorum Institutorum ad Episcopos

Instituta dioecesana quoad omnia Episcopo subsunt, i. e. quoad interni et externi fori iurisdictionem, internum regimen, admissionem subditorum, bonorum administrationem (servatis S. Sedis iuribus et reservationibus in materia vo-

torum vel alienationis bonorum, necnon iuribus a personis acquisitis) (« Conditae » c. I. n. IX).

Si ad aliam vel alias dioeceses extensum fuerit Institutum, « nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat nisi singulorum Episcoporum consensu quorum in dioecesibus aedes habeat » (1). Nec tolli potest Institutum « nisi gravibus de causis et consentientibus Episcopis quorum in dicione » fuerit. « Singulares tamen domus Episcopis in sua cuique dioecesi tollere fas est (2) ».

Instituta iuris pontificii, quibus nempe saltem Decretum laudis a S. S. est impertitum, *subsunt Episcopis quoad iurisdictionem fori interni et externi; interna* vero *vitae religiosae Instituti administratio* ad Moderatores Religiosos pertinet.

Ordines Religiosi stricte dicti iurisdictioni Episcoporum subducuntur et *Romano Pontifici immediate subiacent*, qui eos per eorum Superiores et Capitula regit, non tantum quoad res ipsius Instituti sed vi ordinariae ecclesiasticae iurisdictionis in utroque foro. *Plura* tamen potest *Episcopus* in eos, ut *S. Sedis delegatus*. Plures modernae Congregationes Religiosae (praesertim Passionistae et Redemptoristae) plena etiam gaudent exemptione; amplior tamen quaedam Episcopi potestas, ut S. Sedis delegati, in eas exercetur.

Iura Episcopi in Religiosos exemptos.

« Ex disciplina vigente *viri Regulares* » et Ordinum Religiosorum etiam exemptorum ab Episcoporum *ordinaria potestate* dependent in iis quae sunt *ordinis episcopalis*, v. g. in susceptione Ordinum, consecratione ecclesiarum, petitione chrismatis; in observantia festorum et censurarum quae ab Episcopo promulgantur; in censura librorum;... in

(1) Const. « Conditae » c. I. n. V.
(2) Ib. n. VI.

approbatione ad audiendas confessiones saecularium personarum; in erectione monasteriorum et ecclesiarum;... in praedicatione verbi Dei extra ecclesias proprii Ordinis Religiosi; in executione ultimarum voluntatum; in cura animarum saecularium personarum ». (Wernz III 702).

Saltem *ut delegati S. Sedis,* iurisdictionem exercent *Episcopi in viros Regulares* quoad renuntiationem bonorum tempore novitiatus factam; generatim in his quae ad Missae celebrationem (v. g. quoad stipendium taxandum, extraneos in suis ecclesiis ad Missae celebrationem admittendos) vel ad sacramenta aliis ac familiaribus administranda pertinent, ad novarum imaginum et reliquiarum expositionem.

Potestatem *iudiciariam* et *coercitivam* in non paucis Regularium causis exercent Episcopi praesertim in causis *haeresis* vel cum haeresi connexis, in compluribus Regularium *delictis* speciatim si extra claustrum committantur (1).

Quod si ex speciali privilegio Mendicantibus concesso plures Regulares immunes a potestate Episcopi quoad censuras facti sunt, ab ipso tamen iudicari et aliis poenis plecti possunt (2). Immo ipsi privilegio subtrahuntur plures casus quibus ob inobedientiam Episcopo relate ad praedicationem, confessiones vel imaginum expositionem episcopalibus censuris subiecti manent.

In *Moniales exemptas* quae a viris Regularibus independentes sunt *exercet Episcopus plenam potestatem ut S. Sedis delegatus.* Si a viris Regularibus dependeant, manet Episcopus competens, ex eodem *delegationis iure*, relate ad clausurae custodiam, approbationem confessarii a Praelato Regulari designato, examen ante habitus susceptionem et professionem religiosam sive simplicem sive solemnem, bonorum administrationem etc.

Dependentiam *Congregationum iuris pontificii* clarius et accuratius determinavit Const. « Conditae » de qua plura iam praeoccupavimus. Addere sufficiat Congregationes illas

(1) Plura dicta sunt ubi de visitatione dioecesana Episcopi (cfr. Biederlack Jus priv. p. 193).

(2) Wernz 702. Verm. I. 380.

immunitatem obtinere ab episcopali potestate praesertim quoad admissionem subiectorum (salvo iure Episcopi examinandi moniales ante habitus susceptionem et professionis emissionem) quoad votorum condonationem quae R. Pontifici reservatur, quoad constitutionum immutationem, tandem quoad Superiorum designationem et munerum assignationem (quae, quando in conventu muliebrium associationum fit, sub praesidentia Episcopi ut S. Sedis delegati habebitur) et quoad bonorum administrationem cuius ratio Superiori generali et per eum S. Sedi reddetur.

DE REBUS.

De bonis ecclesiasticis.

I. De acquisitione bonorum ecclesiasticorum.

Praenotanda. — I. Definitio et divisio. — *Bona ecclesiastica* in genere intelleguntur res omnes temporales quae *in dominio Ecclesiae* existunt et *ad fines* et *usus* ipsius *proprios* legitima auctoritate destinatae sunt.

Dividuntur: 1) in bona *corporalia* quae sensibus attinguntur (ut est ager, domus, pecunia) et *incorporalia* seu iura (servitus activa, credita, ius hereditatis);

2) in bona *immobilia* sive *natura sua* (ager, domus) sive *fine*, quando nempe ad perpetuam quamdam rei immobilis utilitatem destinantur (sic instrumenta, machinae pro agris colendis, officinis, fodinis), et *mobilia* quae loco moveri possunt vel *fungibilia* si primo usu consumuntur et *servando servari* non possunt vel *non fungibilia* si eis uti quis potest quin statim consumantur (ut est equus, bos). *Iura* et *obligationes* (vg. credita) sequi censentur naturam rei cui inhaerent ideoque partim *mobilibus* partim *immobilibus* adcensentur.

3) in bona *pretiosa* seu magni valoris et *non pretiosa* seu exigui valoris (olim habebatur ut res non pretiosa illa quae valorem 25 scutatorum aureorum (circa 225 libel.) non superabat: at nunc valor pecuniae saltem duplo vel triplo

minor dici debet: desunt tamen adhuc authenticae Ecclesiae declarationes quid nunc debeat pretiosum dici (1).

4) in bona *communia* seu profana et *sacra* seu religiosa prout nulla vel aliqua speciali consecratione, benedictione, deputatione ad cultum divinum aucta sunt. Prioris generis sunt vg. domus, agri ecclesiae dati, posterioris vasa sacra, quamvis etiam priora dici possint sacra *lato sensu*, eo quod ad fines pios et ecclesiasticos destinantur et in dominio Ecclesiae sunt.

Historia. — Ecclesiam iam ab initio bona quaedam possedisse certum est, quae praesertim res mobiles fuerunt ex oblationibus fidelium provenientes. Difficulter enim propter leges Romanas et saevientes persecutiones bona immobilia acquirere et possidere poterat.

Paullatim vero bona immobilia (ecclesiae, coemeteria) possedit (cfr. conspectum historicum de ecclesiis infra p. 53) Quo titulo ea possidere potuerit non ita clarum est? an *corporationes* instituendo ad instar et cum nomine corporationum *fossorum?* an per *personas interpositas* quae nomine proprio bona ecclesiastica possidere censebantur?

Probabilius diceres eam possedisse ut *corporationem religiosam* quae de se *illicita*, interdum tamen *tolerata* erat, tempore tantum persecutionum *proscripta* et spoliata.

Constantinus Magnus plenam libertatem acquirendi Ecclesiae agnovit, quam alii Imperatores christiani etiam novis favoribus auxere. In regnis Francorum Ecclesia mox magnas obtinuit possessiones, iunctis privilegiis immunitatis a vectigalibus, restitutionis in integrum etc.; at simul negari non potest bona ecclesiastica non paucis oneribus subiecta fuisse.

Inde a saeculo XIII exeunte inceperunt Principes ius Ecclesiae suis legibus limitare et coercere. Tempore Reformationis in pluribus Europae partibus, et fere ubique post Revolutionem Gallicam et iniustas subsecutas spoliationes et saecularizationes, Ecclesiae patrimonium non pa-

(1) Wernz Ius Decretalium III. 160 et not. 40.

rum fuit reductum. Immo ius eius acquirendi et possidendi haud raro legibus exceptionalibus ita limitatur ut vix eadem gaudeat libertate ac privatus quilibet.

Administratio bonorum ecclesiasticorum sub Episcopi auctoritate per *diaconos*, serius per *archidiaconum* exercebatur. Conc. Chalcedonense (a. 451) can. 26 (c. 21 c. XVI q. 7) apud omnes Episcopos constitui iussit *oeconomum* qui simul *administrator* bonorum sub auctoritate eorum esset et *testis* eorum bonae administrationis. Quamdiu bona dioecesana unam massam constituerunt, reditus in plures partes dividebantur quae respective Episcopo, clero, pauperibus, fabricae ecclesiae obveniebant. Cum autem saec. IX et multo magis a saec. XI pars bonorum immobilium variis officiis attribui coepta est ut eius reditus titulari officii inservirent (quae fuit origo *beneficiorum* [1]), Episcopus amplius unicus administrator non fuit, at plures exstiterunt, nempe varii beneficiati; nec raro adhibiti sunt etiam laici, vg. pro administratione bonorum ecclesiae parochialis.

Leges civiles hodiernae libertatem Ecclesiae quoad bonorum administrationem non parum restringere solent.

Alienationi bonorum ecclesiasticorum semper Ecclesia se parum favorabilem ostendit quia haec bona semel facta erant patrimonium eius et eorum reditus ad pauperes, opera pia, cultus divini dignitatem destinabantur; at accedente iusta causa illam semper permisit, immo ob urgentes necessitates fidelium, tempore famis, belli, etc., eo processit ut etiam vasa et paramenta sacra venderet. Episcopus qui in his alienationibus permittendis uti solebat vel etiam debebat consilio suorum consultorum, ad licentiam S. Sedis obtinendam non tenebatur. Prima vice in Conc. Lugdunensi II (a. 1274) [2] apparet haec necessitas beneplaciti R. Pontificis pro speciali quadam alienationis specie. At ad varios abusus coercendos decrevit Paulus II per

[1] Wernz. Ius Decret. II. 245.
[2] C. 2 de reb. Eccl. non alien. III. 9 in Sext.

Const. « Ambitiosae » (1) 1 Mart. 1468 ut pro omni alienatione rei pretiosae mobilis vel immobilis requireretur beneplacitum Sedis Apostolicae. Quam iniunctionem Conc. Tridentinum et plures RR. Pontifices confirmaverunt, v. g. Urbanus VIII per S. C. Conc. 7 Sept. 1624, et tandem denuo in pleno vigore restituit, *sublatis omnibus consuetudinibus* vel *privilegiis contrariis*, Pius IX, Const. « Apost. Sedis » (2).

De iure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia.

Errores. — Antiquorum haereticorum saeculi II et V errores renovaverunt Arnaldus Brixiensis (saec. XII), Waldenses (saec. XIII), Marsilius Patavinus et Wicleffus (saec. XIV) qui tenuerunt Ecclesiam bona temporalia possidere non posse. Gallicani, Legistae, Protestantes, fautores Revolutionis Gallicae nullum ius possidendi Ecclesiae agnoverunt nisi ex Status concessione.

Doctrina catholica. — Contra quos *doctrina catholica* est, Ecclesiam habere ius *nativum* et *proprium* bona temporalia acquirendi et possidendi.

Quod probari potest: 1) *ex natura Ecclesiae*, ut est societas perfecta. Ecclesia enim, ut est societas perfecta, plene independens a Statu, praeclarissimo fine donata et specialibus officiis adstricta, ius habet nativum et proprium ad ea omnia media quae ipsi necessaria vel summe utilia sunt ut finem suum attingat et suis satisfaciat officiis. Iamvero bona temporalia sunt media Ecclesiae necessaria vel summe utilia ad finem attingendum et officia implenda. Ergo Ecclesia habet ius talia acquirendi et possidendi. Et re vera quomodo poterit cultui divino, ministrorum sustentationi, clericorum instructioni, Evangelii inter barbaras gentes propagationi providere sine bonis temporalibus?

(1) C. un. h. t. in Extr. comm.
(2) Cfr. declar. S. Off. 22 Dec. 1880.

2) Idem probatur *ex doctrina Ecclesiae*, quae Wicleffi errores in Concilio Constantiensi (1) et recentiores contradictores in Syllabi prop. 26 condemnavit. « Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi » (2). Quibus condemnationibus adiungi debent poenae contra sacrilegos invasores possessionum ecclesiasticorum et a Tridentino (ses. 22 c. 11 de ref.) et in Bulla Coenae latae et tandem in Const. « Apost. Sedis » (ser. I n. 11, 12; ser. II n. 19) renovatae.

3) *ex praxi Ecclesiae* quae semper tale ius possidendi sibi vindicavit. Iamvero praxis *constans*, *universalis* Ecclesiae de errore insimulari nequit, cum talis error cum infallibilitate seu indefectibilitate Ecclesiae in materia fidei, morum et legum ecclesiasticarum universalium conciliari nequeat.

4) Addi tandem posset *approbatio potestatis civilis* vel *clara* et explicita (apud Imperatores, Reges et Principes christianos per multa saecula), vel saltem *implicita*, ut in Concordatis manifestatur in quibus saepe S. Sedes declarat se ad instantiam gubernii, usurpationes et spoliationes condonare: saepe etiam ibidem ius Ecclesiae explicite agnoscitur (3).

Extensio huius iuris. — *Ex parte materiae*, etiam ad res *immobiles* extenditur, quae et ipsae Ecclesiae necessariae sunt.

Ex modo exercendi illius iuris, vindicanda est plena Ecclesiae independentia; ita ut propriis legibus regatur bonorum acquisitio et administratio, nullo modo legibus Status subiiciatur. « Ubicumque enim (bona) possidet, eorum dominium pro suprema sua potestate, non autem ad modum privatorum obtinet » (Wernz 136).

Nec enim ligatur erga Statum quasi in territorio eius

(1) Can. 10, 32, 33 etc. Denz. - Bannwart n. 590, 612 etc.

(2) Denz. - Bann. n. 1726 sq.

(3) Cfr. vg. Concord. cum Ferd. I. a. 1818 art. 13; cum Austria a. 1855 art. 29, cum Republ. Aequator. a. 1862 art. 19. Nussi Convent. (Moguntiae 1870) p. 182, 316, 355.

possideret ut in territorio *alieno* vel ad modum *privatae* personae: nullibi enim Ecclesia *in alieno territorio* versatur, nec ullo modo subiicitur Statui ut *privata* persona cum ob finem suum supernaturalem per institutionem divinam, auctoritate superiori et plena independentia donata fuerit (cfr. Biederlack Ius publ. n. 36 p. 43 sq.).

Ecclesia *omnibus mediis originariis* et *derivativis* bona acquirere potest quibus homo quilibet privatus. Insuper, ut est *societas,* a subditis suis exigere potest quae sibi necessaria sunt, sive *directe* per taxas ipsis impositas vel eorum operam et laborem exigendo, sive *indirecte* occasione functionum sacrarum, vitata omni simonia et iniusta pauperum vexatione.

Ad clericorum sustentationem praesertim ii concurrere debent qui eorum opera utuntur ut parochiani relate ad parochos (Trid. ses. 21 c. 4 de ref.).

Iniustae ergo sunt leges *amortisationis* quibus prohibetur Ecclesia ne bona acquirat absque potestatis civilis consensu, et plene irritae et invalidae sunt leges illae, cum Ecclesia ius *anterius*, *superius* et a Statu *independens* habeat, et vicissim *obligatio* fidelibus incumbat necessitatibus ecclesiasticis subveniendi. Potest tamen Ecclesia in foro suo leges civiles admittere de similibus materiis latas (v. g. quoad contractus emptionis, locationis), vel per concordata de iuribus suis aliquid remittere.

De effectibus acquisitionis bonorum ab Ecclesia.

Eadem manente bonorum natura *physica*, mutatur natura eorum *iuridica*, unde bona illa iurisdictioni Status subtrahuntur, altae administrationi supremi Capitis Ecclesiae et inferiorum Praesulum administrationi subduntur, fiunt *sacra* et *inviolabilia,* specialibus legibus *praescriptionis* reguntur, *immunitate* tandem *reali* donantur.

Independentia a Statu. — Nihil amplius potest Status in talia bona, nec *directe,* cum Ecclesia sit societas perfecta, nec *indirecte:* societati enim alicui perfectae in aliam perfectam potestas non competit nisi ipsi sit *superior:* iamvero

non Status Ecclesiae, at Ecclesia Statui superior est ratione finis supernaturalis et divinae institutionis.

Bona fiunt sacra et inviolabilia. — Talia enim fiunt et ob subiectum quod dominium habet in ipsa (quae est Ecclesia) et ob *finem sacrum* et *religiosum* propter quem Ecclesiae donata sunt. Unde usurpatio vel spoliatio bonorum ecclesiasticorum est sacrilegium. Immo inviolabilitatem illam Ecclesia per leges suas de alienatione et poenas gravissimas contra usurpatores et invasores bonorum illorum confirmare voluit (1). Nec si Institutum quoddam ecclesiasticum exstinguitur, bona sibi vindicare potest Status ut vacantia: *devolvuntur* enim ad Ecclesiam universalem, vel ad alia Instituta a iure determinata.

Leges praescriptionis speciales. — Mobilia quidem *triennio* praescribuntur, ad immobilia vero requiritur sine titulo *immemorialis* praescriptio, cum titulo 40 (aut verius 44) annorum praescriptio, aliquando ex iure speciali adhuc longior (60 vel 100 annorum, ut pro Ecclesiae Romanae bonis (2).

Immunitas realis. — Immunitate reali donantur bona ecclesiastica, i. e. tributis et vectigalibus subtrahuntur quae leges civiles communes rebus temporalibus imponunt.

Quae immunitas ab Imperatoribus christianis et Regibus Germanorum et Francorum plane agnita, a RR. Pontificibus et Conciliis contra usurpatores et invasores fortiter vindicata, paullatim a tempore Marsilii Patavini *theoretice impugnari*, *practice* magis magisque *limitari* coepta est. Quod impedire non potuit Tridentinum Principibus saecularibus enixe commendans ut has immunitates observarent et observari curarent (ses. 25 c. 20 de ref.). Nunc in Concordatis de illa saepissime siletur, vel etiam explicite consentit S. Sedes ut bona ecclesiastica taxis communibus subiiciantur. Saepe etiam praeter taxas illas communes aliae speciales et exceptionales non raro durissimae ecclesiastica bona gravant.

(1) Trid. ses. 22 c. 11 de ref. Const. « Apost. Sedis » (serie I n. 11, 12; serie II n. 19).

(2) Wernz III 145.

Ad principia quod attinet, distinguendum est inter bona *clericorum privata* et bona *sensu stricto ecclesiastica.* Prima quidem *ex natura* rei et *iure divino* immunitate gaudere non probantur. Quae si a Statu olim concessa fuerit, arbitrarie revocari absque iniustitia non poterit. Immo pro potestate sua *indirecta*, hanc immunitatem a Statu exigere potest Ecclesia ob connexionem bonorum illorum cum persona ecclesiastica et ob rationes aequitatis naturalis: iustum est enim ut qui spiritualia servitia aliis praestant, corporalia etiam praestare non teneantur. Quod si Ecclesia immunitatem illam non amplius sustinet, dicendum videtur clericos *directe* legibus et iudiciis civilibus de his rebus ligari (Wernz 146).

Alia vero bona quae sensu stricto in publico Ecclesiae dominio sunt constituta, dici debent immunitate gaudere *ex iure divino* non quidem *absoluto* et *praecipiente*, quasi Ecclesia tributa solvere non debeat nec possit, sed eo sensu quod his *adstringi non debeat quin consenserit.* Et hoc sequitur ad naturam Ecclesiae, ut est societas perfecta et a civili potestate independens.

Inde tamen non sequitur Ecclesiam non obligari ad solvenda onera quae pacto vel alio iustitiae commutativae titulo nituntur. Nec recusat (ut constanti experientia constat) Statui praesto esse per auxilia pecuniaria quando necessitatibus publicis, tempore belli, pestis, famis est obveniendum. At hoc *sponte* et ex *virtute caritatis* praestat vel praestare debet, non titulo *iustitiae* et a Statu coacta.

De subiecto dominii bonorum ecclesiasticorum.

Non agitur de subiecto *utilitatis* i. e. in cuius favorem bona ecclesiastica donata sunt (ut essent pauperes, infirmi, peregrini), sed de subiecto *inhaesionis*, quod nempe ius *proprietatis* in bona ecclesiastica obtinet.

Quae quaestio olim inter catholicis parum agitata quando omnes admittebant bona in dominio Ecclesiae constituta ad

corpus christianorum seu ad *ecclesias* non ad *singulos homines* pertinere, maioris momenti facta est quando falsae theoriae refellendae fuerunt quibus usurpationes bonorum ecclesiasticorum fulciebantur. Legistae, Protestantes etc. bonorum ecclesiasticorum dominium penes Statum reponunt, qui iuxta ipsos omnium iurium fons et origo est, immo iuxta plures haec omnia iura alienare non potest. Quae theoria ex praecedenter dictis sufficienter refellitur: repugnat enim dominium bonorum societatis perfectae, plane independentis, penes aliam societatem reperiri fine et membris distinctam, ordine inferiorem nec raro hostilem et infensam.

Manent breviter expendendae et refellendae theoriae quaedam inter catholicos propagatae, quae ex minus accurata conceptuum iuridicorum analysi vel ex quibusdam locutionibus sensu nimis stricto sumptis originem traxerunt. Subiectum dominii bonorum ecclesiasticorum neque *Deus*, *Christus* vel *Sanctus* aliquis est, nec *pauperes*, nec *R. Pontifex* aut *Ecclesia universalis*, sed *ecclesia* vel *Institutum particulare* cui haec bona destinata fuerunt (Wernz 139).

Non est Deus aut Christus qui habent quidem dominium *supremum* omnium rerum, non autem dominium illud *directum*, *secundarium* quod in humana societate hominibus Deus concessit. Nullo enim argumento nititur talis exceptio quoad ordinarium possidendi modum facta relate ad bona ecclesiastica. Et si dominium directum Deo competeret, cur etiam Deus subiectum debitorum ecclesiasticorum non diceretur, quod repugnat. Eo sensu dicuntur bona esse Dei, Christi, Sanctorum vel ipsis donari, quatenus in honorem eorum Ecclesiae traduntur.

Nec sunt pauperes. — Alius est enim *finis*, saepe *partialis* tantum *donationis*, aliud *subiectum dominii*, sicut quando dicitur superfluum divitis pauperum patrimonium esse, nullo modo asseritur pauperes ius proprietatis in superflua divitum sibi vindicare posse.

Nec est R. Pontifex. — Is enim, vi *primatus iurisdictionis, supremus* et *perfectus* omnium bonorum ecclesiasticorum *administrator* et *gubernator est, dominus* autem non

est. Nec magis est subiectum dominii ac est subiectum debitorum totius Ecclesiae.

Nec Ecclesia universalis vel Sedes Apostolica. — Huic quidem competit dominium bonorum ecclesiasticorum quae toti corpori sunt communia. Et certe sicut ipse Status, etiam Ecclesia, qua *societas universalis*, possidere potest. At non habet dominium bonorum ceterarum ecclesiarum vel Institutorum. Quod facile ostenditur ex iure antiquo et Tridentino de Minoribus S. Francisci. Hi enim bona non possident in communi, sed bonorum dominium penes S. Sedem residet (1) At ubi Tridentinum hoc ius confirmavit relate ad Minores de Observantia et Capuccinos, *evidentem* confirmavit *exceptionem*. Et eodem capite statuitur: « Concedit S. Sedes omnibus Monasteriis.... ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat ». Quibus verbis non novum ius universum relate ad dominium bonorum stabilitur, sed ius antiquum ad *Ordines mendicantes* extenditur qui, vi institutionis suae, bona in communi possidere prohibebantur.

Subiectum bonorum ecclesiasticorum sunt ecclesiae vel Instituta particularia quod ex statim dictis (adde Trid. ses. 22, c. 11 de ref.) et ex decisionibus SS. Congregationum et instrumentis fundationum concluditur et etiam sensu et opinioni communi fidelium magis omnino concordat. Quod adhuc confirmatur iterum observando Ecclesiam universalem subiectum *debitorum* ecclesiae particularis nullo modo dici debere.

Nec erui potest argumentum in contrarium ex devolutione ad S. Sedem bonorum *Instituti* vel etiam aliquando *ecclesiae suppressae* vel *exstinctae*. Cum enim bona directe Instituto data, saepe *principaliter* vel saltem *etiam* intuitu Ecclesiae universalis a donatoribus tradita sunt, ex ipsa eorum intentione, nisi contrarium constet, recte ad eam devolvuntur (vel ad illud Institutum aut ecclesiam quam S. Sedes designaverit), suppresso vel exstincto subiecto bonorum immediato et primitivo.

(1) c. 3 de Verb. Signif. tit. 15 Extr. Io. XXII, Trid. ses. 25 c. 3 de Regul.

II. De bonorum ecclesiasticorum administratione.

Definitio. — Administratio « denotat omnes illos actus, qui ad *conservationem* et *meliorationem substantiae* bonorum ecclesiasticorum iam acquisitorum, *aut* ad legitimam perceptionem, conservationem, meliorationem atque praesertim *applicationem* fructuum et redituum ecclesiasticorum referuntur » (Wernz 147).

Ius nativum Ecclesiae. — Quod Ecclesia ius nativum et legitimum administrandi sua bona, ad exclusionem Status habeat, patet ex dictis de potestate Ecclesiae *propria, nativa, independente,* acquirendi et possidendi haec bona; confirmatur vero ex constanti traditione et praxi Ecclesiae quae semper contra Status ingerentiam reluctata est, et ex inanitate obiectionum quibus ius illud impetitur. Status enim nullum *altum dominium*, i. e. nullam *supremam iurisdictionem*, multo minus *verum* aliquod *dominium* in haec bona habet, cur ergo administrationis ius sibi praetenderet? Quod eius *cura* ad *rectam* et *prosperam administrationem* bonorum ecclesiasticorum nullo modo desideretur aut necessaria sit, eo facilius ostenditur, quod saepe invidia in Ecclesiam excitatur ob eius bonorum multiplicationem quae sane bonam administrationem clare demonstrat, cum vix ulli ex Statibus modernis aliquid tam felix contingat.

De administratoribus bonorum ecclesiasticorum. — Ecclesia semper optavit bonorum suorum administrationem Episcopo committi vel sub eius vigilantia fieri [1] et administratores recordari bona illa non sua esse, sed potius Dei, cultus divini, pauperum.

Iuxta vigentem disciplinam *R. Pontifex* est *directus administrator* bonorum quae ad S. Sedem pertinent, et praesertim per Cameram Apostolicam et per Commissionem Cardinalium Obolo S. Petri deputatorum hanc exercet admi-

[1] Conspect. hist. supra p. 37.

nistrationem. Insuper, vi *primatus iurisdictionis*, est omnium bonorum ecclesiasticorum *supremus administrator*, legibus generalibus eorum gestionem ordinans, constanti vigilantia promovens, directam autem immixtionem non sibi sumens nisi de gravioribus negotiis quae quoad quaedam sibi reservat (v. g. licentiam S. Sedis pro alienatione bonorum pretiosorum exigens).

Ad Episcopum spectat de regula generali administratio bonorum quae ad S. Sedem non pertinent, quam vel per e directe exercet vel vigilantiam et auctoritatem in immediatos administratores exercendo. Ex speciali iure Episcoporum administrationi vel vigilantiae *subtrahuntur* bona *Regularium* quae a Praelatis inferioribus reguntur, reddita ratione Praelatis mediatis et Generali seu Capitulo Generali, bona etiam *Congregationum iuris pontificii* quae etiam a Superioribus localibus administrantur, *quotannis* Moderatori vel Moderatrici Generali reddita ratione, et *quolibet triennio* ab illo (aut illa) S. Congregationi de Religiosis.

Administratores *inferiores* qui sub Episcopi vigilantia et auctoritate bona ecclesiarum, Institutorum vel locorum piorum administrant, vel *iure communi* sunt designati (sic beneficiati pro suo beneficio) vel *particulari iure* aut etiam *pactis* et *conventionibus* cum fundatoribus, donatoribus constituuntur. Quod si Episcopus explicite in limine fundationis non excludatur (1) omnes administratores ipsi rationes suae gestionis reddere debent non tantum in visitatione dioecesana sed etiam quotannis; ipsos mutare potest, nisi specialis probetur exceptio; potest prohibere ne extraordinariae expensae fiant nisi de consensu *communitatis* (quod non significat *fidelium coetum*, at *Capitulum* etc.).

Tenetur administrator 1) ad *iuramentum* de munere rite implendo praestandum, 2) ad conficiendum *inventarium* bonorum duplici exemplari quorum unum servat, alterum Episcopo tradit, et ad *annualem rationum redditionem*. Haec ex pluribus S. C. Conc. responsis constant quibus interpretata

(1) Bied. Ius priv. p. 52 not. 2.

est caput 2 de Relig. dom. (III. 11) Clement. et Tridentinum (ses. 22, cc. 8, 9 de ref.). Debet praeterea magna cum cura documenta scripta, instrumenta omnia conservare quae nunc generatim ad *praescripta iuris civilis* sunt redigenda, cum nostra aetate de facto vel ex tolerantia vel etiam expressa concessione, Ecclesia in causis mere civilibus leges et iudicia civilia admittat (Wernz 152).

Administrator negligens tenetur de propriis bonis damna resarcire. Ne autem Ecclesia ob administratorum incuriam damna patiatur, Instituto vel ecclesiae laesae competit beneficium *restitutionis in integrum;* e contra non ligatur per contractus, conventiones ab administratore absque debita licentia initas, nisi forte in ipsius utilitatem redundaverint.

III. De alienatione bonorum ecclesiasticorum (1).

Definitiones. — Nomine *alienationis*, lato sensu intellectae, venit omnis actus legitimus quo in alium transfertur vel rei *dominium perfectum*, vel *dominium utile* (usus, ususfructus) vel aliud *ius in re*. Unde comprehenduntur: 1° (donatio, venditio, permutatio, cessio iuris acquisiti [crediti, litis]); 2° (infeudatio, emphyteusis, locatio saltem diuturna); 3° actus omnes qui praeparativi vel inchoativi alienationis reputantur (oppignoratio, hypotheca specialis) vel qui in perpetuum aut ad longius tempus bona gravant (v. g. concessio servitutis). Non comprehenduntur autem repudiatio lucri nondum facti, nec pecunia mutuo data vel etiam mutuo accepta (nisi simul hypotheca specialis constituatur) (2).

Nomine *rei* intelliguntur res omnes mobiles et immobiles, corporeae et incorporeae, actiones, obligationes, iura quae rebus mobilibus vel immobilibus inhaerent.

Ecclesia intelligi debet sive Ecclesia universalis sive par-

(1) Lib. III, tit. 13 X De rebus Ecclesiae alienandis vel non.
(2) Wernz III, 154.

ticulares ecclesiae, adhuc beneficia, monasteria, omnia Instituta et loca pia quae *et* ad *pios usus* sunt destinata *et erectionem canonicam* auctoritate S. Sedis vel Episcopi sortita sunt.

Ius et prohibitiones alienandi. — Quod Ecclesia ius alienandi propria bona habeat, non multis est probandum; sequitur enim ad plenum et perfectum eius in haec bona dominium. At pro *speciali conditione* bonorum animadversio magni momenti est facienda. Ecclesia universalis, vel ecclesia aut Instituta particularia sunt quidem subiectum dominii, at, cum sint personae morales, non per seipsa sed per alios sua bona administrant. Hi vero cum *domini* non sint, at meri *administratores,* ex ipso *iure naturali* nequeunt absque iusta causa alienare bona non sua, et talis alienatio non *illicita* tantum sed *invalida* esset. Hoc de ipso R. Pontifice dici debet, etsi in foro externo ex communiter contingentibus praesumendus est ex iusta causa alienasse.

Potius ergo impedire debuit Ecclesia suis prohibitionibus ne nimis proclives ad alienandum se ostenderent administratores. Quod praestitit duplicem constituens bonorum categoriam in ordine ad alienationem, et formalitates seu solemnitates praescribens quae praestari debebunt quando alienationi locus esse videbitur.

Alienari possunt sine solemnitatibus iuris res mobiles non pretiosae, immo etiam bona immobilia exigui valoris et ecclesiae inutilia, interveniente necessitate vel utilitate (1); vel res quae *servari non possunt,* ut fructus; res etiam omnes quae *retineri non debent* at ex *iuris necessitate* alienandae sunt v. g. res pretiosae donatae conventui Capuccinorum; tandem bona quaelibet in casu *urgentis necessitatis*, quando sine gravi damno consensus exspectari nequit, v. g. tempore persecutionis (2).

E contra alienari non possunt absque solemnitatibus res *immobiles* praeter exiguas illas supradictas, res *mobiles pre-*

(1) Can. Terrulas 53, C. XII, q. 2.
(2) S. C. de Prop. Fide 27 Aug. 1823; 31 Mart. 1836.

tiosae quae servari possunt (v. g. calices pretiosi), usus-fructus longi temporis, census sive reditus et pensiones annuae ex re immobili, ut ex praedio, domo, actiones rerum immobilium et mobilium pretiosarum, bibliotheca bene instructa, tandem *tituli* qui fundationem vel dotationem beneficii vel Instituti ecclesiastici constituunt.

Immo aliquae alienationes etiam cum solemnitatibus prohibentur, quando ex his dedecus Ecclesiae resultaret, ut si Hebraeo vel haeretico cum fidelium scandalo res notorie transferretur, vel quando fieret contra expressam fundatorum aut donatorum voluntatem, nisi tamen magna necessitas vel utilitas alienationem suaderet,

Conditiones requisitae. — Requiritur *causa iusta*, et *solemnitates* a iure constitutae. Quatuor causae praecipuae in iure statuuntur: 1) *urgens necessitas* cui subveniri non possit nisi alienando; 2) *evidens utilitas:* nam non debet in damnum Ecclesiae vergere quod ad eius utilitatem fuit constitutum; 3) *pietas* v. g. ad pium opus, ad gravem necessitatem pauperum cui Ecclesia subvenire solita est etiam res pretiosas et usque ad vasa sacra vendendo; 4) quando res *potius nocet* quam prodest Ecclesiae, v. g. si fundus valde distet, vel expensae fere reditus aequent aut fort superent.

Solemnitates iuris antiqui. Praerequirebatur: 1) *tractatus capitularis*, i. e. *disceptatio* de necessitate vel utilitate alienationis, in Capitulo ecclesiae vel conventus ad quem bona pertinebant (1); 2) *consensus* et *subscriptio* eiusdem Capituli (2); et si ageretur de alienandis bonis dioecesis, ecclesiae particulari vel conventui non propriis, requirebatur *consensus Capituli cathedralis;* 3) *consensus* ipsius Episcopi pro iis bonis quorum alienationem concedere poterat et debebat. Si forte in limine fundationis patronus sibi ius servasset, eius etiam consensus requirebatur.

Ius vigens. Vi Const. « Ambitiosae » Pauli II, ab Urb. VIII et a Pio IX iterum confirmatae (3), licentia S.

(1) c. 1 h. t. in Sext.
(2) c. 12 h. t. X.
(3) cfr. consp. hist. supra p. 38.

Sedis requiritur pro omnibus alienationibus rei immobilis vel mobilis pretiosae: non tamen sublata est dispositio de terrulis (1) ad quas alienandas sufficit Episcopi approbatio: nec oblivioni tradatur valorem pecuniae nunc multum imminutum esse.

Utrum hac solemnitate recursus ad S. Sedem sublatae fuerint solemnitates iuris antiqui? Tenent communius nunc auctores (2) *per se sufficere* beneplacitum, quod tamen *concedi non solet* nisi cum *consensu* vel *voto* illorum quorum interest. Nunc pluribus in locis dantur Episcopis ampliores facultates ut sine recursu ad S. Sedem alienationes *infra* certam summam per seipsos facere valeant, *supra* vero cum *consilio consultorum* et recursu ad S. Sedem vel simpliciter cum onere postea de usu facultatis ad R. Pontificem referendi.

De effectibus alienationis. — Legitime facta transfert ius dominii vel aliud ius de quo actum est. Illegitime facta, i. e. sine iusta causa vel sine solemnitatibus, est *nulla* et *irrita* etiam in *foro interno* ut ex iteratis SS. Congregationum decisionibus constat. Immo etiam beneplacitum apostolicum in defectu causae iustae defectum non sanat (ex praxi SS. Congregationum; ceterum R. Pontifex *non censetur* nec etiam *potest* sine causa iusta alienare velle).

Contra *male alienantes* modo diverso procedi potest prout alienatio *formaliter* est *valida* ob solemnitates rite praestitas, vel his deficientibus *invalida*.

In primo casu si Ecclesia graviter fuit laesa, quia causa apparens tantum erat, competit ipsi *beneficium restitutionis in integrum*. In altero casu habet *actionem personalem* contra administratorem qui de propriis bonis damnum compensare debet, et *actionem realem* contra possessorem rei alienatae ut ipse eam reddat, cum recursu, ut patet, contra administratorem ut se compenset.

Ceterum Praelatus ecclesiasticus qui male alienavit, ius

(1) supra p. 48.

(2) Wernz n. 165 Barg. 975 Oietti Synops. 3 « Alienatio ».

habet et officium talem alienationum revocandi, quod et praestare possunt et debent eius successores. In defectu Episcopi, Capitulum, clerus, laici parochiani *reclamare* possunt. Qui vero ex alienatione invalida bona recepit, omnino tenetur ea restituere.

Poenae contra male alienantes. — Ex Const. « Apost. Sedis » alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica male alienata incurrunt excommunicationem nemini reservatam, quae excommunicatio, iusta sententiam communem, attingit etiam Episcopos et Abbates. Excusat *recipientes* ignorantia etiam crassa vel supina quae non excusat ipsos *alienantes*.

Interdictum vero *ab ingressu ecclesiae* quo olim Episcopi et Abbates male alienantes plectebantur et aliae censurae latae sententiae olim statutae, cum silentio praetereantur in Const. « Apost. Sedis », abrogandae censeri debent. At *poenae vindicativae* in Const. « Ambitiosae » *inferioribus Praelatis* et ecclesiarum rectoribus qui res et bona suorum beneficiorum alienare praesumpsissent inflictae, velut privatio beneficiorum quorumcumque obtentorum et inhabilitas ad ea denuo obtinenda, pro *Regularibus* privatio vocis activae et passivae et omnium officiorum obtentorum et perpetua inhabilitas ad ea in posterum obtinenda (quas poenas Regulares ipso facto et absque ulla declaratione incurrunt) (1), vi Const. « Apost. Sedis » *directe* et *expresse* abrogatae non fuerunt (2).

Ex iure communi hodierno illegitime alienantes res ecclesiasticas modici valoris nullam amplius censuram vel poenas vindicativas ipso facto incurrunt. At Episcopus non prohibetur quin illos poenis *arbitrio* coerceat.

(1) Urb. VIII S. C. Conc. 7. Sept. 1624.

(2) Wernz 171 Oietti Syn. 3 « Alienatio » contra d'Annibale Comment. in Const. « Apost. Sedis », n. 177 nob. 33.

DE LOCIS SACRIS.

Loca sacra ea sunt in quibus, ex iuris canonici dispositione, saltem principales actus liturgici de regula generali sunt perficiendi. Inter loca sacra numerantur *ecclesiae, oratoria, capellae* et etiam latiori sensu *altaria*.

Vox *ecclesia*, ex usu populorum latinorum, non iam *fidelium coetum*, sed *locum* quo ad cultum exercendum convocantur designat. *Ecclesia* potius *aedes maiores* denotat, *oratoria* seu capellae *minores aedes;* at differentia nunc potissimum eruitur ex *destinatione*, prout scilicet *universo populo fideli* destinantur (tunc ecclesiae dicuntur), vel *principaliter* alicui *personae*, *familiae* vel *communitati* inserviunt (oratoria seu capellae).

Inter ecclesias numerantur *Basilicae*, i. e. templa quae insigniora habentur ob antiquitatem, magnitudinem vel celebritatem et sunt *maiores* (quatuor vel quinque in Urbe) vel *minores* (novem vel octo in Urbe, plures extra Urbem). Praeterea recensentur ecclesiae *cathedrales*, *collegiatae*, *conventuales*, *parochiales*, *regulares* vel *saeculares*, *matrices* vel *filiales* etc.

Oratoria iuxta divisionem nunc accuratius per Decretum S. Rituum C. 23 Ian. 1899 (1) determinatam, triplicis sunt generis; *publica*, *semipublica*, *privata*. Et *publica* quidem « auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata ianuam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum ». *Privata* oratoria « in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae ex Indulto S. Sedis erecta sunt ». Oratoria *semipublica* ea

(1) Decreta authentica, n. 4007.

sunt « quae, etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt, commodo tamen non fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt » (1). Talia sunt oratoria Seminariorum, piorum Institutorum vel Congregationum Religiosarum, Nosocomiorum, Carcerum etc.

Conspectus historicus. — Primis aerae christianae temporibus, quamvis certe non exstarent ecclesiae quales nunc reperiuntur, solebant tamen christiani in certis locis convenire ad mysteriorum celebrationem (Cfr. I Cor. XI 20 sq.). Immo iam ante finitas persecutiones ecclesias habuerunt, ut constat ex actis Concilii Illiberitani (a. 300 vel 306?) (2) et ex Eusebii Caesareensis historia ecclesiastica (3). Quae destructae sub Diocletiano, magnifice refectae sunt sub Constantino Magno (4), et ab eo tempore a fidelibus passim erectae, obstante tamen Ecclesia zelo indiscreto et abusibus aliquando exortis. Quae ecclesiae communiter in forma crucis et versus Orientem aedificatae fuerunt.

De ecclesiarum aedificatione et reparatione.

Ius Ecclesiae. — Competit certe Ecclesiae ius seu potestas *independens* templa aedificandi ut cultus publicus rite exerceatur; nam iure pollet acquirendi sibi *independenter* ab auctoritate civili ea quae sibi necessaria vel valde utilia sunt.

At novae ecclesiae aedificatio, etsi opus pium, non est privato arbitrio omnino relinquenda, requiritur vero ecclesiasticae auctoritatis interventus. Unde si in loco exempto ab auctoritate episcopali aedificanda est, expetenda erit saltem R. Pontificis licentia, si in loco non exempto Episcopi auctoritas, etiam si aedificantes Religiosi exempti essent (5).

(1) Decreto citato.
(2) Apud Kirch Enchiridion Fontium historiae Ecclesiae antiquae n. 306.
(3) Historia eccles. 7. 30; 8. 1, 2. Kirch ib. 402, 403-405.
(4) Sozom. Hist. eccl. I. 8. 12, Kirch 837 (12).
(5) Const. « Romanos Pontifices », 8 Maii 1881 n. 22.

Episcopus *licentiam* dare *debet* si novae ecclesiae aedificandae iusta adsit ratio. Immo aliquando *praescribere potest* et *debet* aedificationem novae ecclesiae, praesertim parochialis (Trid. ses. 21, c. 4, de ref.). E contra interdum licentiam *denegare potest* vel etiam *debet: potest*, si *dotatio necessaria* ad omnes cultus expensas deest; et si incaute permiserit et talem ecclesiam benedixerit vel consecraverit, necessaria praebere ipse tenebitur; *debet*, si constet constructionem intendi ad quaestum faciendum non ad divinum cultum promovendum vel si leges iustitiae vg. in aliam ecclesiam violarentur (1). In quo casu, incepta aedificatione, locus habebitur reclamationi ex parte laesi, quae dicitur *novi operis nunciatio* et cuius effectus est ut suspendantur labores (vel cautio detur de demoliendis novis aedibus) donec reclamans praeiudicium sibi allatum probare potuerit; ad quod ipsi tres menses conceduntur, et si vicerit, omnia in *statu quo* reponi debebunt expensis aedificantis (2).

Antequam aedificari incipiatur, debuit Episcopus per se aut per delegatum locum inspicere et approbare, crucem figere, primarium lapidem benedicere et ponere (iuxta ritum Pontificalis Rom. vel Ritualis R. si sacerdotem simplicem delegaverit). Invigilare debet ut in ipsa constructione omnia rite pro natura cultus catholici instituantur, his praesertim vitatis quae in iure sunt prohibitae, ut fenestrae aperitio ex domo privata et etiam episcopali in ecclesiam, aedificatio cubiculorum ad usus mere privatos vel ad diu noctuque habitandum sive subtus pavimentum sive super ecclesiis

De ecclesiarum reparatione. — Sedulo caveri debe ne domus Dei collabatur et ideo profanetur (cfr. infra de reconciliatione). Quis autem expensas reparationi necessarias sustinere debeat, non ita clare constat. Dicendum videtur cum Wernz III. 434: 1.° spectari debent conventiones, constitutiones particulares; 2.° his deficientibus et de iure communi, solvi debent expensae: *a*) ex reditibus ecclesiae,

(1) cc. 1, 10 Dist. 1 De Consecr.
(2) De novi operis nunci. X (V. 32).

praesertim ad hoc specialiter destinatis; *b*) qui si non sufficiant, per eos qui pactis, statutis, consuetudinibus tenentur; *c*) per rectores et beneficiatos (1); tandem *d*) si ecclesia sit parochialis, per ipsos parochianos (Trid. ses. 21 c. 7 de ref.). Quod si impossibilis evaderet reparatio, destrui posset ecclesia, iubente Episcopo, cruce tamen erecta in loco, qui ad usus profanos non autem sordidos converti potest; et in ecclesiam matricem vel viciniorem transferuntur beneficia, onera, emolumenta ecclesiae dirutae (Trid. ib.).

Appendix. De oratoriis aedificandis. — Ex plena libertate qua olim gaudebant *et Episcopi* ut *sibi* erigerent vel *aliis* erigere *permitterent* oratoria domestica, *et Regulares* ut *in aedibus privatis* pro lubitu *celebrarent*, non pauci irrepserunt abusus, quos ut tolleret Tridentinum decrevit ne Ordinarii « patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum designata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, Sanctum hoc Sacrificium a saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi » (2).

Solus ergo R. Pontifex nunc oratoria stricte privata permittere potest, quae ex eius delegatione Episcopus visitabit et approbabit, videns num decens et apte compositus sit locus et ab omnibus domesticis usibus liber. Oratoria semipublica auctoritate Episcopi erigi valent; alia oratoria in piarum Communitatum aedibus praeter oratorium principale absque S. Sedis auctoritate erigi nequeunt (3). Oratoriis semipublicis aequiparantur oratoria in privatis Cardinalium et Episcoporum palatiis erecta.

(1) c. 1, 4 X de eccl. aedific vel repar. (III. 48).

(2) Ses. 22 Decr. de observ. et evit. in celebr. Missae.

(3) S. Rit. C. in Nivern. 8 Martii 1879; Decr. 23 Ian. 1899 Decreta authent. 3484, 4007.

De ecclesiarum consecratione.

Historia. — Post persecutionum tempora pro quibus nil certi scimus de ecclesiarum consecrationibus, hae maxima celebritate fieri coeptae sunt, praesentibus saepe Episcopis in Synodo adunatis. Et ab eo tempore non desunt prohibitiones ne in ecclesiis non consecratis divina mysteria celebrentur. Episcopo dioecesano reservabatur consecratio ecclesiarum in sua dioecesi etiam forte ab alio Episcopo erectarum; imo aliquamdiu R. Pontifici ecclesiarum in patriarchatu occidentali vel saltem in ditione sua metropolitica erectarum ([1]).

Notiones — *Dedicatio* in genere est ritus sacer ab Ecclesia institutus quo locus *profanus* efficitur *sacer* et a legitimo ministro *in perpetuum ad cultum divinum* dedicatur. Si *solemniter* fit, vocatur *consecratio*; si *minus solemniter, benedictio* (quae etiam saepe *solemnis benedictio* dicitur ut a benedictione *communi* loci distinguatur). Essentia consecrationis consistit in ungendis Sacro chrismate duodecim crucibus pictis vel insculptis in parietibus, recitatis verbis Pontificalis Romani. Benedictionis (solemnis) ritus essentialis est aspersio parietum cum aqua lustrali, iunctis precibus Ritualis Romani.

Consecrari deberent omnes ecclesiae *cathedrales* et *parochiales;* quod si interim differri debeat consecratio (immo et forte impossibilis reputetur) *solemniter benedici* deberent antequam Officia liturgica et S. Sacrificium ibi celebrarentur. Potest tamen ad tempus ob graves rationes Episcopus permittere celebrationem ante benedictionem ([2]).

Oratoria *publica sunt consecranda* vel *solemniter benedicenda*, sicut ecclesiae; *semipublica possunt* at *non necessario debent, privata nec possunt nec debent consecrari* vel *solemniter benedici*, at benedictione communi cuiuslibet loci donantur.

([1]) Wernz III 436 not 32.

([2]) Sic Gasp. De SS. Euch. n. 155 Oietti Synop. [3] « Ecclesia » n. 1924. Bargilliat n. 1276.

Minister *validae* et *licitae consecrationis* est Episcopus loci rite consecratus, etiam quoad ecclesias Regularium exemptas. Episcopus alius rite consecratus valide at illicite consecrat nisi ab Episcopo loci rite fuerit delegatus; Episcopus non consecratus invalide consecrat, sicut quilibet sacerdos qui specialem R. Pontificis delegationem non accepisset. Ad *solemnem benedictionem* sufficit Sacerdoti Episcopi licentia (1). Superiores Regulares Ordinum mendicantium vel qui eorum privilegia participant proprias ecclesias solemniter benedicere possunt.

Pridie consecrationis ieiunare debet Episcopus et ii qui *sibi consecrari* ecclesiam *petunt* (i. e. nunc fere solus *patronus* et *parochus*) (2). *Vigiliae* ante reliquias habendae sunt (i. e. recitandum est Matutinum cum Laudibus de communi Martyrum coram vasculo reliquiarum in ecclesia ponendarum). Ritus plures et pulcherrimi adhibentur inter quos essentialis est unctio duodecim crucium.

Quotannis celebrandus est anniversarius consecrationis dies ab omni clero ecclesiae addicto, imo a clero totius dioecesis si de cathedralis anniversario agitur. Idem fit pro omnibus ecclesiis et oratoriis consecratis, non pro benedictis etiam solemniter. Ad festum titularis quotannis recolendum tenentur ecclesiae et oratoria consecrata aut solemniter benedicta (S. Rit. C. 5 Iunii 1899 Decr. auth. n. 4025).

De ecclesiarum reconciliatione.

Ecclesia quae *exsecrata* fuit, nova *consecratione* vel *benedictione*, *polluta reconciliatione* indiget. Exsecratur per conversionem in perpetuum ad usus profanos vel per destructionem totalem vel partis valde conspicuae. Iuxta sententiam usque nunc satis communiter receptam etiam destructa *in-*

(1) Many De Locis Sacris n. 17 censet Sacerdotem ab Episcopo non delegatum valide etsi illicite benedicere.

(2) S. C. Conc. 3 Iulii 1909 A. Ap. Sedis I 623.

crustatione parietum totaliter vel quoad magnam partem, exsecrabatur ecclesia. Cum autem ob plures decisiones S. Rit. C. nunc certum evaserit consecrationem ecclesiae muris inhaerere, dicenda non est exsecrata nisi destructis muris totaliter vel magna ex parte (1). Eodem modo exsecratur ecclesia solemniter benedicta, iuxta sententiam, quae paullatim communior fit, benedictionem sicut et ipsam consecrationem muris ecclesiae adhaerere (2).

Pollutio ecclesiae inducitur per actiones quasdam in iure determinatas quibus *gravis iniuria* loco sacro *notorie* infligitur. Consecrationem quidem non tollit (ut exsecratio) at ita ecclesiam maculat ut in ea celebrare, antequam reconcilietur, graviter illicitum evadat.

Praecipuae actiones quibus polluitur ecclesia sunt: 1°. voluntaria et graviter peccaminosa seminis humani effusio (c. 10 De consecr. eccl. III. 40); 2°) iniuriosa et notoria sanguinis effusio (c. 4 h. t.); 3°) homicidium simul *volontarium et personae* vel *loco sacro iniuriosum:* sic suicidium, martyrium inflictum, extremum supplicium etiam iuste inflictum, non autem si mors ad legitimam defensionem secuta fuerit; 4°) sepultura excommunicati saltem *vitandi* (c. 7 h. t.); et *infidelis* (ex consuetudine universali et communi sententia (cfr. S. Rit. C. 23 Apr. 1875). De sepultura excommunicati *tolerati* et *acatholici* controvertitur. Dicendum videtur certe comprehendi acatholicos *notorie sectae addictos et denuntiatos, alios probabiliter non*, nec *excommunicatos toleratos* (Wernz 442 not. 48, 471 not. 159 Many n. 34 contra Gasp. n. 254).

Ut ecclesia polluatur, causa debet esse *notoria*, *certa,* sine dubio facti vel iuris, in ipsa ecclesia posita.

Reconciliatio. — In ecclesia polluta divina Officia, praesertim vero Missa, celebrari nequeunt absque gravi culpa, antequam reconciliatio fuerit facta. Ecclesia reconciliatur per eosdem ministros qui eam consecrare vel benedicere potuerunt; si *consecrata* fuit, per Episcopum aut sacerdotem

(1) S. Rit. C. 19 Maii 1896. 2 m.

(2) Sic Wernz 441. Oietti Syn.[3] « Ecclesia » Gasp. n. 167, 183 Many n. 28.

ex delegatione R. Pontificis (1); si *solemniter benedicta*, a simplice sacerdote ab Episcopo delegato, imo iuxta quosdam in casu necessitatis absque Episcopi delegatione (Bargill. n. 1281).

Regulares exempti, ex privilegio Leonis X, possunt suas ecclesias etiam consecratas reconciliare, at generatim cum aqua ab Episcopo benedicta.

De ecclesiarum immunitate.

Duo includit *immunitas loci sacri:* 1°) *prohibitionem actorum profanorum* ob reverentiam; 2°) *ius asyli* quo certi criminosi eo confugientes gaudent, ne scilicet inde absque auctoritatis ecclesiasticae venia violenter extrahi valeant.

Ipsum *ius naturale* et *divinum* excludit a loco sacro actus varios qui ab eius sanctitate discrepant: est enim locus Deo consecratus et domus orationis. Inde etiam convenientia quaedam inducitur ne certis saltem temporibus et mediis reus ab eo loco extrahi possit. Huic innixum fundamento, apte determinavit et etiam extendit ius canonicum prohibitiones et restrictiones illas.

Prohibitio actorum profanorum. — Prohibentur ut negotia *profana:* iudicia criminalia vel civilia, negotiationes, nundinae, contractus; conventus ludicri, choreae; publici profanarum societatum conventus. Huc etiam refertur prohibitio recens S. Officii ne admittantur alia vexilla ac religiosa societatum laicarum. — Permittuntur, ubi consuetudo viget, litterariae academiae, praemiationes. In casibus dubiis, parochi ad Episcopum recurrere debent. In vera necessitate, puta tempore belli, inundationis, pestilentiae, ex Episcopi beneplacito, poterunt ecclesiae hospitium praebere incolis, aegris etc., quod ceterum opus est pietatis et misericordiae. Adhuc magis vitari optat Ecclesia *simultaneitatem cultus acatholici* cum *catholico* in eodem loco, eamque

(1) De consecr. eccl. III. 40 Ben. XIV De Syn. dioec. l. 13 c. 15 n. 2.

ad vitanda tantum maiora mala et ad tempus interdum permittet, aliquando prorsus interdicit (1).

Ius asyli. — Iam apud Graecos et Romanos templa, altaria, deorum simulacra, ludi sacri securitatis et asyli loca fuerunt. Apud Hebraeos urbes refugii exstabant et etiam altare templi securitatem praestabat his qui inviti vel inconsulti occiderant. Quam immunitatem locorum sacrorum apud Christianos, vix finitis persecutionibus consuetudine paullatim introductam, Imperatores confirmaverunt. Ecclesia, quae prius *intercessionem* potius suam apud magistratus in favorem confugientium interponebat, a saec. V illam immunitatem ut *ius* vindicavit, poenas severas constituens contra sacrilege extrahentes reos. Quod ius confirmaverunt Decretales Greg. IX (tit. de immunitate ecclesiarum etc. III. 49). Et ratione optima in Medio Aevo poterat Ecclesia tale ius ex potestate indirecta urgere, ob crudelem *talionis* legem et *minus ordinatam severioremque iustitiae criminalis* administrationem: ceterum limitationes appositae cavebant ne iudicia criminalia illusoria evaderent (c. 6 h. t.).

Iure asyli gaudent ecclesiae, oratoria publica et semipublica, aedificia ecclesiae contigua et ab ea dependentia, domus parochialis, ecclesiae contigua aut non ultra triginta passus distans, coemeteria ecclesiastica, monasteria, loca pia ab Episcopo erecta, palatia Cardinalium er Episcoporum. Et haec quidem iuxta leges ecclesiasticas. Sed iam ab ultimo saeculo vix ullibi ius asyli leges civiles agnoscunt, cui tamen Ecclesia non absolute et simpliciter renuntiavit, imo in Concordatis saltem quoad substantiam et pro templis retinere conata est. Const. « Apost. Sedis » excommunicationem retinuit contra « immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes » (2° ser. n. 5). Saltem urgendae sunt consuetudines quae adhuc in certis regionibus vigent, ne v. g. tempore Officiorum divinorum violenter extrahantur rei.

(1) Sic Pius IX 12 Mart. 1873 contra sectam « Veterum catholicorum ».

DE COEMETERIIS ET SEPULTORA ECCLESIASTICA.

I. De coemeteriis.

Nomen. — « *Coemeterium* (κοιμητήριον accubitorium) a christianis dicitur locus sepulturae reservatus: ipsi enim ob spem resurgendi non tam mori quam obdormire censentur (1). In iure autem canonico coemeterium vel sepultura accuratius definiri solet: Locus auctoritate Episcopi benedictus in quo cadavera catholicorum pie decedentium sepeliuntur » (Wernz III. 466).

Divisio. — Distinguuntur coemeteria *ecclesiastica* quae sunt in Ecclesiae dominio, benedictione sacrata, solis fidelibus reservata, et *civilia* quae sunt in dominio Status, municipiorum etc., benedictione carent, omnibus, etiam infidelibus, haereticis, indiscriminatim patent.

Historia. — Apud omnes gentes *sepulcri religio* semper sancte servata est, ita ut locus humationis ipso facto sacer et religiosus evaderet. Adhuc multo magis christianis studio fuit corpora fidelium honorare quae ipsis apparebant ut S. Spiritus templa, per sacramenta vivificata, ad resurrectionem destinata. Primis saeculis extra moenia civitatum recondi solebant corpora christianorum pro more recepto et legibus Romanis confirmato; pace Ecclesiae data, cum Martyrum corpora intra urbes deferri coepta sunt, mos invectus est ut ad eorum sepulcra fideles sepelirentur, extra ecclesias primo (ut passim saec. VI fiebat), dein in ipsis ecclesiis (qui honor prius Praelatis et dignioribus laicis, postea omnibus indiscriminatim est concessus, saltem saec.

(1) « Christus resurrexit a mortuis. primitiae *dormientium* » (I Cor XV. 20).

XII, imo iuxta plures iam saec. IX) (1). Quem usum Ecclesia non reprobavit at certe praefert sepulturam extra ecclesias dari: « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur ». Ritu. Rom. tit. VI c. 1 n. 9).

Ius Ecclesiae acquirendi et ordinandi coemeteria. – *(Wernz III 469 Cavagnis Ius Ecclesiae Publicum P. II n. 276 sq.)*. Ecclesia ius habet *nativum* et *legitimum* acquirendi *independenter* a potestate civili bona temporalia quae ad finem eius sunt ei necessaria vel vere utilia (cfr. de bonis temporalibus p. 38 sq.) Iamvero huiusmodi sunt coemeteria: loca enim in quibus corpora fidelium digna ratione et sacris ritibus sepeliuntur sunt intime connexa cum fine ipsius Ecclesiae catholicae. Apud christianos enim ipsa sepultura est res religiosa, « ipsa substantia actus est elevata ad ordinem religiosum, ideoque subtracta iurisdictioni civili quoties sic religiose fiat » (Cav. l. c. n. 279).

Et sicut ea possidere, sic ea ordinare potest, vg. inde quosdam excludendo. Si enim iam ab initio tantopere curavit Ecclesia ut fideles in locis diversis ab infidelibus sepelirentur, quanto magis postea. Leges ergo quibus Status prohibitiones vel ordinationes de sepulturis in ecclesiis vel coemeteriis fert, iura Ecclesiae laedunt. Aliquas tamen ex eis Ecclesia non difficulter admisit, eas scilicet quibus sepulcra in ecclesiis prohibuit vel coemeteria longe ab habitationibus haberi praescripsit, « tum quia conformes suae legislationi, tum quia ut plurimum utiles reipublicae, tum etiam quia inutilis et impossibilis fuisset resistentia, nec de re per se illicita ageretur sed ad summum de violato iure Ecclesiae cui ipsa, salvo principio, de facto cedere potest ». (Cav. l. c. n. 285). Negari tamen nequit Statum hygienem et securitatem publicam curare posse et debere, cavens ne cadavera citius sepeliantur, neve, tempore pestis, cum periculo ad ecclesias deferantur. Haec autem potius *accidentalia* sunt, sepultura vero ipsa *actus religiosus*, sepulcrum

(1) Cfr. Many n. 138 Wernz III 668.

locus religiosus manent, quae proinde Statui subtrahuntur, ab Ecclesia pendent. Et in ipso loco sepulturae (ecclesia, coemeterio) rationem habere debet salutis et securitatis publicae, efficaciter hygieni consulere, sed non vi legum civilium et quasi legibus civilibus ligata esset.

De cadaverum crematione. — Fortius adhuc Ecclesia resistit mori recenter introducto cadavera concremandi, utpote ex perverso novitatis studio veroque odio fidei inducto. Qui mos Paganis, etiam Romanis, generalis nequaquam fuit, ab Ecclesia vero in mortuorum reverentiam constanter reiectus. Ex variis S. Officii Decretis: 1.°) prohibentur fideles nomen dare societatibus ad hoc constitutis ut cadaverum crematione promoveant, vel permittere ut sua suorumque corpora comburantur (19 Maii 1886); 2°) si *propria* defuncti *voluntate* crematio fieri debeat, nulli ritus sacri in eius sepultura absolvantur (15 Dec. 1886); 3°) immo si quis suum corpus cremari mandaverit et admonitus non resipiscat, arcendus est ab ultimis sacramentis nec pro ipso Missae Sacrificium offerri publice potest; prohibetur tandem quaelibet *formalis* crematione cooperatio (27 Iulii 1892).

Coemeterii benedictio et reconciliatio. — Ex antiquissima consuetudine benedici debet coemeterium, quae benedictio eodem modo fit ac Ecclesiae dedicatio, vel ab Episcopo aut Sacerdote a R. Pontifice delegato, iuxta ritus Pontific. Rom. (et est *consecratio*) vel ab Episcopo aut sacerdote ab Episcopo aut Superiore Regulari deputato (cum Regulares eadem privilegia habeant pro coemeteriis suis ac pro ecclesiis) iuxta ritus Ritualis Rom. (et est benedictio). Si totum coemeterium est benedictum, non sunt benedicenda singula sepulcra nisi lapidibus ibi construantur. Si coemeterium est *civile* nec sit saltem pars catholicis reservata et benedicta, sepulcra in ipsis exequiis benedicuntur (Rit. Rom., tit. VI, c. 3, n. 2).

Coemeterium non proprie *execratur*, nisi per conversionem in usus profanos factam in perpetuum a legitima auctoritate (quae dicitur *profanatio*). *Polluitur* iisdem actibus ac ecclesia (ex consuetudine et consensu SS. Congregatio-

num et Doctorum); imo si ecclesiae sit contiguum, polluitur per ecclesiae pollutionem, non vice versa. *Reconciliatur* eodem modo ac per eosdem ac ecclesia polluta et ante reconciliationem nefas est aliquem in eo sepelire.

II. — De sepultura ecclesiastica.

Nomen sepulturae ecclesiasticae tria designat: « *locum* ab auctoritate ecclesiastica rite deputatum ad sepelienda corpora fidelium pie defunctorum; *universos ritus sacros* ab Ecclesia praescriptos vel determinatos ad sepeliendos mortuos christianos in loco benedicto; denique *ius sepeliendi* cadavera fidelium in sepulcro sive loco rite ab Ecclesia per benedictionem deputato » (Wernz III, 772 II).

Divisio. — I. *Ratione loci* distinguitur sepultura *electiva*, *gentilitia*, *parochialis*: *electiva* ea est quam fidelis libere tegitimeque sibi elegit, quod quidem omnes possunt, viri et feminae, dummodo ratione compotes, puberes nec ab eligendo prohibiti ob specialem iuris dispositionem (Regulares professi) vel exclusionem (indigni); electio debet esse plene libera, certo constans, quamvis nulli speciali formae adstricta; 2° *gentilitia* est sepultura quae in sepulcro maiorum fit, cui assimilatur sepultura in sepulcro corporationis si rite ad praescripta iuris canonici constituatur; 3° *parochialis* sepultura datur his qui nec aliam elegerunt, nec gentilitiam habent, nec iuris dispositione, quando aliam non elegerunt, in certo loco sepeliri debent (ut nunc RR. Pontifices in Basilica Vaticana, Cardinales in ecclesia titulari, Episcopi in cathedrali, ubi non impediunt leges civiles). Sepultura parochialis solet fieri in coemeterio parochiali sive proprio, sive pluribus parochiis communi, nec raro nunc mere civili.

II. *Ratione rituum* sepultura est *solemnis* vel *simplex* prout fit *cum* vel *absque* pompa, solemni associatione et exequiarum celebratione.

III. *Ius sepulturae* (sepultura tertio sensu) est vel *activum*, si consideratur ex parte ministrorum qui honores se-

pulturae tribuunt, vel *passivum*, prout est penes ipsos fideles defunctos.

Ius activum sive de ministris sepulturae ecclesiasticae. — Activum ius tria complectitur quae vel separata vel coniuncta inveniri possunt: ius *associandi* seu conducendi ad ecclesiam cadaver, ius *funerandi* seu exequias celebrandi, ius *tumulandi* seu humandi in certo loco. Determinat ius canonicum penes quem vel quos ius illud triplex existat. Et quidem si de sepultura R. Pontificis, Cardinalium, Episcoporum, canonicorum, parochorum agitur, regulae statuuntur quas videre est apud Wernz III, 775. Many, De Locis sacris n. 173 sq.

De *iure communi* sepultura fidelium quoad triplicem illum actum ad *proprium parochum* pertinet, i. e. ad parochum loci ubi quis domicilium vel quasi domicilium habebat. Quod ius varia temperamenta et exceptiones patitur sive ob electionem libere factam alius sepulturae, sive ob sepulcrum gentilitium, sive ob adiuncta varia quae regulae generalis applicationi obstant. De regula generali haec dici debent: si quis alicubi *domicilium* vel *quasi-domicilium* habet et *ibi moritur*, *ibi sepelitur;* si *duo* domicilia vel domicilium et quasi-domicilium habet et in *alterutro moritur*, *ibi sepelitur*. *Vagus*, cum proprium parochum non habeat, a *parocho loci* sepelitur ubi mortuus est.

Si quis *extra parochiam* domicilii vel quasi-domicilii *casu* moritur, *huc transferri sepelirique* debet, nisi distantia obstet et tunc ubi mortuus est, sepelitur. Ipse parochus regulariter accersiri debet ut cadaver ad parochiam associet nisi longius distet (Many 170, 188).

Si quis, iure suo utens, aliam sepulturam elegit vel sepeliatur in sepulcro maiorum non in parochia situm, pertinet ad *parochum proprium* levare cadaver de domo defuncti et illum *usque ad ecclesiam tumulantem* associare *cuius* est ius *officium funebre persolvendi* et *defunctum humi tradendi*.

Hinc sint breviter dicta; de casibus specialibus bene

multis qui occurrunt cfr. Ojetti, Synopsis 3 « Exsequiae » Many De Locis sacris nn. 188-200.

De taxa et quarta funeraria. — Pro ipsa sepultura, quatenus est functio spiritualis, exigi nequit pretium quin committatur simonia, at numquam prohibitae sunt liberae fidelium oblationes occasione funerum factae. Immo Ecclesia, abusus et exactiones detestans, laudabiles consuetudines retineri voluit, et etiam Episcopis permisit ut fideles compellerent ad solvendum aliquam taxam consuetudine vel iure dioecesano determinatam (1).

Quarta funeraria est oblatio quaedam a iure canonico constituta ad quam ius habet parochus cuius subditi in altera parochia sepeliuntur; eius quantitas a consuetudine vel statutis dioecesanis determinatur, secus est *quarta pars omnium emolumentorum* quae ecclesiae *tumulanti* obveniunt; debetur ergo ab ecclesia tumulante, non ab heredibus. Solvitur haec taxa *quoties* parochianus in *aliena ecclesia* sepelitur ob electam sepulturam, vel ob sepulcrum gentilitium aut corporativum, aut quia extra parochiam mortuus in eam transferri non potuit (nisi tamen in hoc ultimo casu contraria adsit consuetudo). Quod si illegitime ibi sepelitur, *omnia emolumenta* parocho proprio sunt restituenda. Si quis *duo domicilia* vel *domicilium* et *quasi domicilium* habebat, inter *duos parochos* dividitur quarta ab ecclesia tumulante solvenda; si vero ecclesia tumulans sit *una* e *duobus parochiis* defuncti, haec alteri nil solvere debet.

De iure passivo, sive de subditis sepulturae ecclesiasticae. — Ius habent fideles qui pie in Domino moriuntur ut eorum corpora honeste condantur in loco per auctoritatem ecclesiasticam ad hoc deputato. Quod ius vi baptismi omnibus fidelibus competit qui ob culpas eo non exciderunt. Nam si a communione fidelium exclusi moriuntur, post mortem exclusi manent: « Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus » (c. 1 C. XXIV, q. 2). Unde iam ab antiquis temporibus, ut ex

(1) C. 42 De Simonia (v. 3) — Later. IV, can. 66.

pluribus Conciliis constat, praesertim ex Bracarensi I (a. 563), a sepultura ecclesiastica exclusi sunt catechumeni, damnati ob sua scelera, suicidae, eiecti ab Ecclesia et excommunicati. Quinam nunc excludantur ex Rit. Rom. tit. VI, c. 2 novimus: Sunt enim pagani, Iudaei, omnes infideles; haeretici et eorum fautores; apostatae; schismatici et publice excommunicati maiori excommunicatione; interdicti; — seipsos occidentes, nisi ante mortem signa poenitentiae dederint; — morientes in duello; — manifesti et publici peccatores qui sine poenitentia perierunt etc. In casibus dubiis Episcopus est consulendus; « urgente vero necessitate et dubio permanente, *mitior* at *legitima* interpretatio in hisce legibus odiosis et poenalibus est sequenda, ne forte *nimio rigore* excitentur turbae aut *nimia benignitate* fideles *scandalizentur*, ipsaque Ecclesia *contemnatur* » (Wernz 782).

Ex *tolerantia* quadam mere passiva, permittit Ecclesia ut in coemeteriis vel sepulcris gentilitiis et privatis familiae catholicae sepeliantur acatholici consanguinei vel affines si aliter absque scandalis vel periculis fieri non possit (Wernz 470).

De ritu et tempore sepulturae — Accurate serventur praescripta Ritualis Romani et S. Sedis pro *adultis*, *pueris*, necnon ritus speciales pro sepultura *clericorum* et *regularium*.

Ecclesia decentem et modestam pompam admittit; immo flores et coronas non respuit, nisi forte ad abusus reprimendos; laudabilius tamen pecunia haec in Missis pro defunctorum suffragiis expenditur. Vitentur vero signa vana et multo magis superstitiosa, luctus excessivus, necnon pompa immoderata quae funus in triumphum vertat. Servetur mos ut sacerdos cum luce et cruce cadaver ducat.

Mane, si fieri potest, celebrentur exequiae ut S. Missae Sacrificium offerri possit. Tempore interdicti localis, prohibetur sepultura *laicorum in loco sacro* vel etiam extra *cum ritibus sacris; clerici* vero *in loco sacro* at *sine* consuetis solemnitatibus sepeliri poterunt.

A. M. D. G.

DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS

Fontes et scriptores; Decretales Gregorii IX. l. I. tit. 29. sq. l. II. per totum. Decret. Bonifacii VIII, Clementinae, Extravag. communes. l. I. in titulis iisdem et l. II.

Lega, De iudiciis ecclesiasticis, Romae, 1896 sq. t. I. ed. 2. 1906. *Santi-Leitner,* ed. 3. Ratisbonae, 1898 sq. *Schmalzgrueber,* Ius ecclesiasticum universum. *Wernz,* Ius Decretalium, ed. 2. Romae, 1905 sq. *Aichner,* Compendium iuris ecclesiastici, ed. 11. Brixinae, 1911. *Bargilliat,* Praelectiones Iuris canonici, ed. 25. Parisiis, 1909. *Laurentius,* Institutiones Iuris ecclesiastici, ed. 2. Friburgi, 1908. *Prümmer,* Manuale Iuris ecclesiastici, Friburgi, 1909.

N. B. – Quando in posterum allegabuntur auctores citati, nomine operis non adiecto, intellegetur opus hic laudatum. Folia lithographica Rmi P. Wernz, De iudiciis, Romae 1889; De Poenis, 1907, hoc modo citabuntur: Wernz, De iud., vel De Poen., adiecto paginae numero.

PRAENOTIONES.

De existentia et ambitu potestatis iudicialis Ecclesiae.

De existentia (*remissive*). — Probatum est in Institutionibus Iuris publici ecclesiastici competere Ecclesiae potestatem iudicialem: quae potestas *directe* ex verbis Christi et Apostolorum, *indirecte* ex conceptu societatis perfectae et ex praxi Ecclesiae demonstratur. Ibidem, in conspectu historico, breviter ostensum est *quo modo* et *qua amplitudine*, per varias epochas, hanc potestatem exercuerit Ecclesia, cuius unam partem ut sibi propriam semper vindicavit,

alteram autem partem ex consuetudine vel ex concessione principum repetebat.

De ambitu. — 1° Extenditur potestas ecclesiastica iudicialis, iure *exclusivo* et *proprio*, ad causas omnes *spirituales*, sive tales sint *ex obiecto* suo, sive *ob connexionem* cum obiecto sacro: *ex obiecto spirituales* sunt causae rem sacram concernentes: fidem et doctrinam fidei et morum, sacramenta vel sacramentalia, sacros ritus, vota, iuramenta, dies festos, indulgentias, censuras, etc.; *spirituales, ex connexione* cum re sacra et spirituali, sunt causae de beneficiis ecclesiasticis, iure patronatus, decimis, sepulturis, etc... In haec omnia habet Ecclesia potestatem *propriam* et *exclusivam*, cum ad finem eius proprium spectent, in quo debet esse a qualibet alia societate independens: ceterum hoc ius ex praxi, disciplina et legislatione ecclesiastica liquido constat (1).

2° Extenditur insuper ad causas *mixtas* (2), ad eas scilicet quae *ex ipso obiecto* partim ad potestatem civilem, partim ad ecclesiasticam spectant: in eas, quatenus sunt spirituales, competit etiam Ecclesiae propria et exclusiva potestas, v.g. in omnes scholas fidelium quoad doctrinam religiosam tradendam vel fidem alumnorum ab erroribus defendendam.

3° Attingit etiam *causas clericorum* etiam *temporales*, vi *immunitatis personalis*, seu *privilegii fori*, nempe exemptionis a iurisdictione laicali: quae exemptio cum iure iam *naturali* suadeatur et iure *divino quoad substantiam* sit instituta, in ultima specie *ab Ecclesia* determinata est quae eam sibi semper vindicavit, ut clare constat ex dictis et actis SS. Patrum, Conciliorum et RR. Pontificum. Huic immunitati nequit clericus aliquis sponte renuntiare, nam non est *personae privatae privilegium*, sed *totius ecclesiastici ordinis*. At ipsi derogare potest R. Pontifex per concordata, conven-

(1) Bargilliat, Praelectiones Iuris canon. n. 1415 sq.

(2) Si causa *mixta* ea intellegitur in quam datur utrique societati (ecclesiasticae et civili), ius *praeventionis* (ex consuetudine, conventione, etc.), ex ipsa definitione sequitur Ecclesiam posse huiusmodi causam sibi assumere; at Status idem facere potest: qui prior ad se causam avocaverit, eam iudicabit.

tiones; quo in casu non inepte considerari potest vir *christianus* qui iudicium in clericum exercet, ut speciem quamdam delegationis ecclesiasticae auctoritatis obtinens (1).

Quae derogatio si non intervenerit, debebit regulariter actor veniam ab Ordinario petere ut clericum in ius vocet. Declaratio S. Officii, 23 Ian. 1886, hanc obligationem denuo inculcavit, declarans quod si quis ad iudicem civilem personas ecclesiasticas sine hac venia traducere ausus fuerit, « in potestate Ordinariorum erit, in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverint ». Simul declarabat excommunicationem latae sent. non incurrere « nisi legislatores et alias auctoritates cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones » (2). At recenter SS. Dominus Pius X statuit: « quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares feminaeve, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa sive in civili, nullo potestatis ecclesiasticae permissu, ad tribunal laicorum vocent, ibique adesse publice compellant, eos etiam in excommunicationem latae sententiae speciali modo R. Pontifici reservatam incurrere » (3). Ex subsequentibus tamen declarationibus constat legitimam consuetudinem privilegio fori derogare posse, qualis in Germania generatim loquendo et, ut videtur, etiam in Gallia existit.

4° Olim multae causae natura sua *temporales*, vel reservabantur Ecclesiae ob aliquam *adiectam circumstantiam* (sic contractus *iuramento* firmati, testamenta ad causas *pias*) vel utrique iurisdictioni, ecclesiasticae et civili, permittebantur (ita causae viduarum, pupillorum et miserabilium personarum).

Imo ex ipso Iure Romano licebat omnibus, etiam *laicis*, contendentibus, ad tribunal ecclesiasticum causas suas deferre,

(1) Santi, l. II, tit. 2, n. 30.

(2) Collectanea de Prop. Fide, ed. 1. n. 240.

(3) Motu proprio. 9. Oct. 1911. Acta Ap. S. III, p. 555. Cf. Const. « Apost. Sedis » ser. I, n. VII.

quod tribunal competens fiebat, sive altera pars consentiret sive etiam dissentiret (1). In praxi hodierna ad iudicium ecclesiasticum causae fere tantum spirituales deferuntur. Iam advertebat Benedictus XIV gravia vulnera antiquae ecclesiasticae iurisdictioni inflicta fuisse, et Ecclesiam quidem primum obstitisse ausibus iudicum saecularium, postea, ad evitanda mala maiora, dissimulasse, imo quandoque *postea privilegio* concessisse quae principes sibi iam *antea usurpaverant*. Diligenter tamen ad haec tria animum intendere debent Episcopi: « Primo, ne princeps saecularis sibi unquam arroget ius sacrorum;... secundo, ne iudex laicus eam quoque partem ecclesiasticae iurisdictionis invadat, quae hactenus perseverat intacta;... tertio denique, ubi, aut privilegio aut legitima consuetudine, fori ecclesiastici limites ultra Iuris communis sanctiones ampliati sunt, quod ceteroquin perquam raro contingere scimus, (curet) Episcopus, ne sua incuria aut conniventia contrahantur » (2).

(1) Constit. Constantini M. a. 321 et 331 (333). Cf. c. 35, 36, C. 11. q. 1. Sed Justinianus, L. 7, 29 § 4, Cod. De episcopali audientia (I, 4) exigit utriusque litigantis consensum.

(2) *De Syn. Dioec.* l. IX, c. IX, n. 12, 13.

PARS I.

Notiones generales de iudiciis

I. De iudiciis et personis ad iudicia concurrentibus.

(Decretales, l. II, tit. I; Schmalzgrueber, l. II, tit. I, § I; Santi, l. II, tit. I; Bargilliat t. II, n. 1413 sq.; Laurentius n. 310-14)

A. De natura et speciebus iudiciorum.

« Iudicium est legitimae controversiae quae inter actorem et reum intercedit, per iudicem cognitio, discussio ac definitio » (Schmalz. l. c. n. 2, cum pluribus aliis). Dicitur *actor* is qui alium coram iudice vocat, aliquid ab eo repetens, *reus* qui ab altero vocatur et a quo aliquid petitur [1].

Ipsa *res* vel *ius* de quo controversia inter partes habetur, dicitur *quaestio* quando nondum in iudicium deducta est, tunc autem *causa* vocatur.

Lis est contestatio, controversia, contentio partium circa rem in iudicium delatam.

Instantia est actualis exercitatio iudicii a litis contestatione usque ad sententiam definitivam.

[1] De actore et reo infra, C., p. 78 sq.

1° Ratione *finis* dividuntur iudicia in *civilia* (1), *criminalia, mixta:* civile pertinet ad privatorum controversias diiudicandas et in eo principaliter intenditur *commodum privatum* actoris; *criminale* principaliter tendit ad *delictum puniendum*, propter ipsius *societatis bonum; mixtum*, utrumque simul intendit, ut si actor homicidam persequatur et ad vindictam criminis et ad reparationem damnorum obtinendam.

2° Ratione *materiae* habetur *a*) iudicium *petitorium* vel *possessorium* prout versatur circa rei *proprietatem* vindicandam aut circa *possessionem* adipiscendam, retinendam vel recuperandam; *b*) iudicium *temporale* vel *spirituale*, prout est de re profana vel de re spirituali quae talis sit vel natura sua vel ex connexione cum sacra.

3° Ratione *formae* habetur iudicium *solemne* seu *plenarium*, in quo omnes solemnitates etiam accidentales adhibentur et solet etiam dici *ordinarium;* iudicium quod solemnitatibus accidentalibus destituitur dicitur *summarium*, *oeconomicum*, *extraordinarium* (at iudicium summarium in hodierna praxi iam factus est modus procedendi ordinarius in causis ecclesiasticis).

B. De Iudice.

Definitio. — « Iudex ecclesiasticus est persona, publica iurisdictione ecclesiastica in foro externo pollens, ad cognoscendam et dirimendam, post disceptationem, causam controversam ». Unde differt « tum a iudice ecclesiastico in foro mere *interno* seu poenitentiali; tum a iudice *laico* qui gaudet iurisdictione mere saeculari ad causas temporales; tum ab *Arbitris* qui auctoritate tantum privata potiuntur, utpote ab ipsis partibus constituti » (2).

(1) Bene advertatur ibi *civile* non idem esse ac *laicale:* dicitur *civile* per oppositionem ad *criminale* et invenitur tam in iudiciis ecclesiasticis quam in laicalibus.

(2) Bargill. n. 1422.

Divisio. — Dividuntur iudices: 1° ratione *tituli*, in *ordinarios* vel *delegatos* prout iurisdictionem habent annexam muneri seu officio quod exercent, vel ex alterius commissione; 2° ratione *gradus* seu hierarchicae potestatis, in *inferiores* et *superiores*, qui etiam dicuntur, spectata ratione appellationis, iudex *a quo*, iudex *ad quem;* 3° ratione *originis,* in iudices iure *divino,* qui sunt R. Pontifex et Episcopi, et iudices iure ecclesiastico (Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Concilia provincialia, Praelati regulares iurisdictione quasi-episcopali instructi, etc.). In curia episcopali, ad causas iudicialiter discutiendas, constitui solet tribunal quod *officialitas* vocatur; huic « vel ipse praesidet Episcopus vel Officialis, nempe Vicarius generalis aut alius idoneus sacerdos ab Episcopo deputatus » (1). Ius commune non agnoscit munus Officialis ut distinctum a munere Vicarii generalis; consuetudo tamen vigens in Gallia et Belgio qua duplex munus separatur, non reprobatur, dummodo Episcopus non intendat novum aliquod officium constituere, quod potestatem eius praetergreditur (2).

De requisitis in iudice ad sententiae liceitatem et validitatem. — Quae requiruntur ut iudex *licite* suo munere fungatur, cum potius ad Theologiam moralem pertineant, ad eam amandantur. Sufficiat hic praecipuas eius obligationes innuere: debet iudex scientia sufficienti pollere, quamprimum causas definire, munera a litigantibus etiam sponte oblata respuere. In ferenda sententia, omni personarum acceptione remota, debet regulariter iuxta allegata et probata pronuntiare et quidem iuxta probabiliorem sententiam, relicta minus probabili.

Ad *validitatem* vero iudicii duo requiruntur: ut iudex sit *competens*, nec fuerit *exclusus* ob *suspicionem*. De competentia iudicis, seu de potestate quam habet in personas litigantes et in causam ad iudicium deductam, infra erit sermo ubi de foro competente, p. 81 sq.

(1) Bargill., I, n. 586.
(2) Bargill., I, n. 771; Wernz, II, n. 800.

Suspectus est et proinde *potest excludi* ad petitionem litigantium: 1° is qui prius *advocatus* fuit in *causa* quam nunc *iudicare* debet, quam exclusionem Ecclesia ex Codice Iustinianeo libenter assumpsit, cum innitatur ipsi iuri naturali: « neque enim praesumi potest pronuntiaturus aut suasurus adversus ea quae ante tamquam iusta defendit » (1).

2° Qui *consimilem* habet causam, tanquam *actor* vel *reus*: praesumitur enim, ne sibi contradicat, iudicaturus ut vellet in sua causa iudicari.

3° Regulariter non potest quis esse iudex in *causa sua*. Excipitur tamen *a*) iudex *supremus:* videtur enim ad supremam eius potestatem pertinere ut alterius iudicio non cogatur se subiicere et aliunde presumitur in propria causa iuste iudicaturus qui supremus est legum conditor, custos et vindex (2). Consultius tamen est si arbitris vel iudicibus ordinariis aut delegatis rem committat. *b*) Excipitur etiam *Episcopus* in causa suae ecclesiae vel dignitatis episcopalis; nequit autem, si causa principaliter et directe propriam ipsius personam spectat. *c*) Potest etiam iudex decidere de *competentia* propria circa *causam* ad suum tribunal *delatam*, nisi agatur de *defectu personali* (v. g. quod sit excommunicatus, infamis), aut de *exceptione suspicionis*, quando nempe ob *amicitiam* vel *inimicitiam* erga unam ex partibus habetur ut de partialitate suspectus, et tunc pars cui fit suspectus contra ipsum excipere potest ut incompetens declaretur. — Tandem *d*) potest iudicare, si de facto *notorio* agatur, ut si *iniuria* ipsi notorie illata fuerit.

C. De his qui sunt partes vel aliter intersunt in iudicio

De actore et reo. — *Actor* est ille qui « agit » et alium in Ius vocat, aliquid ab eo repetens; *reus* est ille alter. Aliis verbis « actor ille est qui prior in iudicium venit ali-

(1) Schmalz. in tit. 1 X l. II, n. 17.
(2) Cf. Schmalz. ib. 18.

quid petiturus; reus qui ab actore in Ius vocatur et a quo petitur » (1).

In iudicio *stare*, i. e. actor vel reus esse possunt omnes qui iure *naturali* vel *positivo* non prohibentur.

Ipso iure *naturali* prohibentur infantes, furiosi, amentes.

Iure *positivo* prohibentur *minores* annis quatuordecim; post completum annum decimum quartum, possunt in rebus *spiritualibus*, ut in causa matrimonii, beneficii, agere *per seipsos* vel per *procuratorem*, ac si essent maiores; ante hanc aetatem nequeunt *per seipsos* stare in iudicio; at quando agetur de rebus spiritualibus, « cum de his se intromittere non habeat » pater, poterunt sibi *procuratorem* eligere, cum auctoritate iudicis ecclesiastici; *infantibus* vero ipse iudex ecclesiasticus *curatorem* constituet ad litem exercendam (2).

Quamvis *parochus* possit, imo debeat pro *bonis* et *iuribus parochiae* in iudicio stare, nihilominus Episcopus potest prohibere ne, ipso inconsulto, parochus stet, imo, si voluerit, poterit Episcopus loco parochi in iudicio stare, quia « tanquam principalis dioecesis universae rector, potestatem cumulativam habet in omnibus ecclesiis suae dioecesis, a iurisdictione sua non exemptis » (3).

Religiosus sine licentia Praelati nequit in iudicio stare, nisi in re *criminali* ubi ipse convenitur; at haec licentia, saltem explicita et in specie, in aliquibus casibus non est necessaria, v. g. si obtinuerit beneficium ecclesiasticum quod annexam habeat administrationem aliquam, vel si studiorum aut aliorum negotiorum causa a monasterio procul absit, etc. (4).

Excommunicati vitandi agere non possunt, *respondere* debent; *tolerati* vero *agere* possunt, at licet *iudici* eos ex officio *excludere*, vel *adversario* movere contra illos *exceptionem* ut excludantur. At quilibet excommunicatus agere potest in causa ipsius excommunicationis, ut probet eam esse

(1) Devoti, Institutiones canon., tom. III, tit. II. in.
(2) C. 3 De iudic. (II, 1) in 6°.
(3) Schmalz. in l. II. tit. I. n. 40.
(4) Schmalz. ib. n. 38.

nullam, non vero ut eam iniustam (etsi validam) probet: ad hoc enim debet prius ad cautelam esse absolutus.

Nemo *compelli* potest ut *actor* sit, nisi *ex officio* teneatur bona et iura aliorum tueri, ut si tutor, procurator, administrator esset. Compelletur vero aliquis ut stet tanquam reus et, si recusaverit, poterit nihilominus sententia ferri. Ut tamen aliquis *personaliter* comparere cogatur, requiritur auctoritas R. Pontificis: excipiuntur casus in quibus causa *criminalis* agitur vel *qualitas* personae (aetas, integritas facultatum) specialiter est examinanda.

De aliis qui iudicio intersunt. — *Actuarius*, seu *notarius* iudicialis ex officio constituitur ut fideliter omnia iudicii acta conscribat: potest esse laicus (nam nulla iurisdictione gaudet); laicus tamen excluditur in aliquibus causis, ut de crimine sollicitationis; expedit ceterum ut sit semper vir ecclesiasticus quia in multis negotiis ecclesiasticis miscetur. Ordinarie ipse *cancellarius* curiae episcopalis simul officium notarii exercebit.

Auditores, stricto sensu, illi sunt quibus tota causa vel pars seu articulus causae a iudice examinandus committitur, postea rem iudici exponunt qui decisionem habet. Hi iurisdictionem in *cognoscendo* de causa habent, possunt partes citare, testes et probationes admittere.

Assessores, seu *consiliarii*, iudici *assident* ut *consiliis* suis eum adiuvent, at nulla ipsis competit iurisdictio nisi ex consuetudine vel statuto peculiari.

Procurator seu *promotor fiscalis*, si vis verborum consideretur, est persona ab auctoritate ecclesiastica legitime constituta, quae iura Ecclesiae tam in personis quam in rebus, sive agendo sive respondendo, in tribunalibus tuetur; at sensu stricto est persona quae in tribunalibus ecclesiasticis officium accusatoris publici nomine proprio exercet praesertim in causis criminalibus. Non congruit enim ut iudex delicta ipse persequatur ne simul actor et iudex esse videatur; hoc agit ex officio promotor fiscalis delicta deferens et sententiam requirens.

« *Defensor publicus* dicitur persona ab auctoritate ec-

clesiastica legitime constituta, quae in tribunalibus ecclesiasticis ex officio sive nomine proprio, in causis etiam civilibus (i. e. quae principaliter utilitatem privatam, non publicum bonum respiciunt) iure ecclesiastico determinatis, partes accusati sustinet » (1). Sic in causis matrimonialibus vel circa valorem sacrae Ordinationis aut Professionis religiosae semper adesse debet defensor qui stet pro valore actus impugnati.

A partibus adhibentur vel adhiberi possunt in iudiciis *procuratores* et *advocati*. *Procurator* est mandatarius agens pro partibus quae, exceptis paucis illis casibus qui supra relati sunt, cogi non possunt ut per se agant et in iudicio compareant. Procurator qui pro collegio ecclesiastico aut Capitulo agit, vocatur *syndicus*.

Advocatus is est qui *iura partium* coram iudice tuetur per deductiones iuris et facti, praebens nempe argumenta sive ex legibus sive ex factis deducta, ad causam sui clientis evincendam.

II. De ordinatione iudiciorum et foro competente.

Solus *R. Pontifex* plenitudinem iudicialis potestatis habet, alii partem tantum, unde restringitur ipsorum iurisdictio ad certas causarum species, vel ad negotia certorum hominum aut in certis locis. Quoad haec iudex erit *competens*, quod alia *incompetens*.

Modus vero quo causae iudicialiter tractantur, alius et alius esse potest, qui modus *ordinatio iudiciorum* dicitur. Posset unicum tribunal pro omnibus causis determinati territorii existere vel varia pro variis causis aut personis, ita tamen ut per unicam instantiam causa dirimeretur. At melius protegitur iustitiae administratio contra errorem, neglegentiam, malitiam per multiplicem instantiam, « eo quod una eademque causa pluribus iudiciis tractatur atque causa apud unum tribunal acta, revisioni superioris tribunalis sub-

(1) Wernz, De iudic. p. 173.

est » (1). Hac de ratione *plures gradus* seu *instantiae* in iudiciis, saltem pro multis causis, institutae sunt.

In causis *primae instantiae*, *Episcopus* et, sede vacante, *Vicarius capitularis*, est iudex *ordinarius* pro causis et personis dioecesis, nisi iudicium de his reservetur R. Pontifici, ut reservantur causae fidei, legis generalis Ecclesiae mutandae, canonizationis vel beatificationis servorum Dei, impedimentorum matrimonii (2). Episcopus potest, ad iudicandum, pro se Vicarium generalem, vel Officialem, imo et collegium iudicum constituere: at hic aut hi simul unicum tribunal cum Episcopo constituunt, a quo non ad Episcopum sed ad iudicem superiorem appellatur.

In *secunda instantia*, iudicat *Metropolita* et eius tribunal. Si vero ipse in prima instantia iudicaverit, ut quando de rebus et personis propriae dioecesis agitur, determinatur a iure aut a particularibus responsis S. Sedis pro variis regionibus, ad quem appellari debeat.

In *tertia instantia* iudicat R. Pontifex, nisi in aliqua regione vigeat modus alius procedendi a S. Sede determinatus (3). Si de causa iuridice tractata agitur, R. Pontifex eam per S. Rotam Romanam iudicat, nisi de rebus maioribus quaestio sit, v. g. de causis fidei quae S. Officio reservantur.

N. B. I. — Causae semper deferri possunt ad S. Sedem in *secunda instantia*, imo et in *prima*, et tunc deferuntur ad S. Rotam, si *iuridice* sunt tractandae, ad Congregationes Romanas, si per viam *administrativam* seu *disciplinarem*.

II. — Reliquimus ex proposito quaestionem de iudicibus ordinariis vel delegatis constituendis, et qualitatibus quibus instructi esse debent, et quomodo Ecclesia suppleat iurisdictionem ipsorum in casu erroris communis. Haec enim, quatenus pertinent ad cursum Institutionum, sufficienter indicata inveniuntur apud P. Biederlack, tract. II, §§ 2, 5 et Append. II. Qui plura volet, adeat Wernz fol. lithog. de iudic. eccl., tit. V, § 2; Lega, De iud. eccl. t. I, P. I, c. II.

(1) Laur. n. 312.
(2) Cfr. Wernz, II, n. 756.
(3) Cf. Acta Ap. Sedis, I, p. 23; Oietti, De Curia Romana, p. 54.

De foro competente. (Decret. Greg. IX l. II, tit. 2; item in VI° et Clem.).

Forum significat locum in quo iudicia exercentur « atque sensu translato est ipsa potestas publica de causa in iudicium deducta cognoscendi et pronuntiandi » (1). *Forum competens* vocatur *tribunal* iudicis cuius iurisdictioni reus subiicitur, seu in quo reus ab actore conveniri debet aut potest. Ideoque forum dicit et importat tum *iurisdictionem* quae exercetur in litibus dirimendis, tum etiam *locum* seu tribunal in quo lites dirimuntur » (2). Iudex dicitur *competens* si ad eum cognitio causae pertinet.

Principium est quod *actor sequitur forum rei*, aliis verbis debet persequi causam apud tribunal cuius iurisdictioni subest reus; et si is pluribus subest, potest actor quemlibet adire, qui quando legitime reum citavit, exclusive fit competens et iudicium ad finem ducit, etiam in casu quo interim reus ab eius iurisdictione eximeretur.

N. B. — Quae ibi adducemus, ex Iure Romano desumpta, ab Ecclesia applicata sunt suis tribunalibus quae unice ibi consideramus. Quod si reus sit *laicus*, actor *clericus* sequetur forum *laici* et tunc ordinabitur iudicium pro legibus civilibus regionis. Quae vero statuimus omnibus applicantur, clericis vel laicis, quorum causae ad tribunal ecclesiasticum deferuntur.

Forum *ordinarium* dicitur tribunal cui reus *regulariter* sive ex jure *communi* sive ex jure *singulari* subiicitur; forum *extraordinarium* illud cui solum per modum *exceptionis a regula* subiicitur. Fora *ordinaria* sunt forum *domicilii*, *rei sitae*, *delicti* et *contractus*. Ad fora extraordinaria referuntur forum *delegationis*, *prorogationis*, *continentiae causarum*, prout iudex competens fit ob *delegationem* superioris, *consensum* partium, *connexionem* inter plures causas. Si reus vicissim actorem citat coram *eodem* iudice cui alias actor non subiiceretur, habetur forum *reconventionis*. Et haec sufficiant de foris extraordinariis quorum amplior tractatio ad Institutiones pertinere non videtur.

(1) Wernz, De iud. p. 225.
(2) Bargill., ante n. 1449.

Forum domicilii acquiritur ratione loci *originis,* i. e. loci in quo quis natus est, parentibus ibi residentibus, vel loci *actualis commorationis* si quis ibi personaliter obtinet *domicilium* vel *quasi-domicilium.* In loco originis nequit reus conveniri nisi actu ibi sit; in loco domicilii personalis semper conveniri potest, « ita ut forum domicilii sit *naturale* et *ordinarium* forum quoad universam iurisdictionem ecclesiasticam tam civilem quam criminalem atque adeo *universalius* ceteris foris, ideoque concurrit cum quolibet alio foro » (1). Iuxta sententiam plurium auctorum, idem dici potest de foro quasi-domicilii (2). Insuper aliqui vi ipsius legis sortiuntur domicilium *fictitium* (seu *legale*): sic *uxor* habet domicilium *mariti; filiifamilias,* sub potestate paterna constituti, domicilium *patris; beneficiati* locum *beneficii residentialis; Religiosi* locum *monasterii.*

Forum rei sitae. — Iudex loci in quo res *immobilis* (imo et *mobilis,* si tamen aliquod tempus ibi sit mansura), *sita* seu constituta est, est competens in eos qui de hac re litem movent. Communior et verior sententia tenet iudicem esse competentem, etiamsi reus in hoc loco non degat.

Forum delicti. — Ubi quis deliquit, ibi forum sortitur; sed ut efficaciter contra ipsum procedere possit iudex loci delicti, debet reus ibidem adhuc reperiri, saltem quando citatur; secus iudex loci non habet iurisdictionem in eius *personam,* potest tamen iudicem *habitationis requirere* ut sibi reum *remittat* aut, si ignoret ubi lateat reus, ipsum per *edictum* in loco *delicti* promulgatum citare. Si non compareat, et bona habeat ubi deliquit, satisfieri actori potest per immissionem in ea bona, aut idem petitur a iudice loci ubi rei bona forte sita sint.

Forum contractus. — Ubi quis aliquam *obligationem* contraxit (nam *contractus* latissime sumitur), ibi forum sortitur, dummodo ibidem praesens reperiatur, nec aliter inter partes conventum fuerit.

(1) Wernz, De iud. p. 245.
(2) Santi, l. II, tit. II, n. 10.

PARS II.

De processu litigioso civili

Praenotanda. De extraiudiciali litis compositione.

Vehementer exoptat Ecclesia lites arcere (1), unde media quibus vitantur, libenter amplectitur et fidelibus proponit. Praeter *pacta* et *contractus* quibus de iuribus *certis* conventionem amicabilem instituere possunt partes, habentur *transactio* et *compromissum* (seu arbitrium).

Transactio est *compositio litis dubiae necdum finitae per non gratuitam pactionem;* versatur ergo circa ius dubium et requirit in transigente liberam dispositionem rei de qua transigit. Non potest fieri privata auctoritate nisi de *iuribus privatis*, nunquam de *crimine* quoad publicam vindictam, nec de *matrimonio* in his quae vinculi indissolubilitatem tangunt. Transactio habet vim sententiae *irrevocabilis;* at, cum sit contractus sui generis, *partes* non prohibentur consensu mutuo ab ea *recedere:* necnon contra eam *appellare* potest pars quae se laesam arbitratur ob dolum, metum, errorem substantialem vel omnino enormem laesionem (2).

Compromissum in *arbitros* est *conventio, qua aliqua controversia iudicio* (seu *arbitrio*) *boni viri ex partium consensu*

(1) Cfr. I Cor. VI.
(2) Laur. n. 318.

permittitur. Arbitri sunt vel *iuris* vel *voluntarii*, prout ex legis praescripto adhibentur aut a partibus libere admittuntur. Arbitri iuris constitui debent in exceptione suspicionis contra iudicem mota, i. e. si pars iudicem ut suspectum recusat, vel cum Episcopus quaestionem habet cum clerico sibi subiecto. *Sententia arbitri iuris* habet vim *sententiae* iudicis *ordinarii* a qua ad superiorem iudicem appellare licet; *sententia arbitri voluntarii* est *irrevocabilis* (1).

I. De introductione causae.

(*Santi l. II, tit. III, Laurentius n. 321 sq; Bargilliat n. 1493 sq.*).

Si partes ad pacta, transactiones, arbitrium recurrere nolunt sed litigare intendunt, processus erit inchoandus et res ad iudicem deferenda.

In causa *civili* iudex non procedit *ex officio*, sed ab *actore* invocatus causam inter actorem et reum cognoscit et iuxta allegata et probata a partibus iudicat. Res defertur iudici ab actore per oblationem *libelli*.

Oblatio libelli. — Libellus est *brevis scriptura* continens *claram* et *explicitam actoris intentionem*. Exprimere debet *factum* ex quo actor suam petitionem derivat, *quid* et *quantum* petat, *quo titulo; nomen* refert *actoris*, *rei*, *iudicis* ad quem causa defertur. Libellus offertur iudici qui, eo examinato, alteram partem citat.

Citatio. — Citatio est *actus legitimus*, i. e. a lege determinatus, *quo quis ex mandato iudicis in iudicium vocatur ad se defendendum contra assertiones actoris*. Quae citatio adeo est necessaria ut, ea omissa, iudicium sit ipso iure nullum et invalidum. Ex hodierna consuetudine citatio simul exprimit *intentionem actoris* et *convocationem*. Tempus reo determinatur ut se praesentet, constituto scilicet die, hora et loco audientiae. Declaratur simul an citatio sit *peremptoria*,

(1) Laur. n. 319-20.

seu talis ut, si reus in iudicio stare omiserit, contumax habeatur et ultra progredi liceat eo absente. Transmittitur per *apparitorem* seu *cursorem* curiae.

Effectus citationis est quod res amplius *integra non sit:* unde iudex qui citavit, iurisdictionem conservat quoad hanc causam; res, de qua disputatur, fit *litigiosa*, circa quam aliquid mutare non licet et tandem interrumpitur *praescriptio* forte incepta.

Exceptiones rei. — Reus, se praesentans, *excipere* potest, seu exceptionem movere. Exceptio est *assertio rei contra factum aut ius actoris ad retardandam* vel prorsus *elidendam actionem* eius. Si *retardat*, dicitur *dilatoria*, v. g. si quis iudicem recuset ut excommunicatum, ut sibi inimicum etc. Hac enim exceptione admissa, controversia non dirimetur sed ad alium iudicem transferetur. Exceptione *peremptoria* actio prorsus eliditur, ut si reus invocet transactionem de hac re cum actore factam quae, si probabitur, prorsus actionem excludet.

Contestatio litis. — Si a reo nulla movetur exceptio, nec tamen petitio actoris admittitur, *contestatur* lis. Definiri potest litis contestatio: *petitio actoris in iure proposita* et *congrua negativa responsio rei ex intentione litigandi.* Cui contestationi litis apud Congregationes Romanas iam ante reformationem Pianam Curiae Romanae substituebatur *concordatio dubiorum:* propositis scilicet ex utraque parte *iuribus* et *petitionibus*, quaestio de qua disputabatur ex consensu partium determinabatur. Idem nunc fit apud S. Rotam (1).

Post contestatam litem *libellus* nequit amplius mutari saltem quoad essentialia, partesque sese obligant ex quasi-contractu ad litem prosequendam.

Olim exigebatur *iuramentum calumniae:* post contestatam litem iurabant partes se persuasum habere de iure suo, seque verum dicturas; hoc iuramentum nunc praestari non solet; adhuc tamen adhibetur iuramentum *malitiae*, quando circa unum aut plures causae articulos aliqua pars suspecta fit *ex malitia* agere.

(1) Lex propria S. Rotae R. can. 24.

II. De prosecutione causae per probationes.

(*Bargill. n. 1462-76*; *Laur. n. 324-30*).

Scopus probationum est ostendere vel facta asserta ab actore vel exceptiones a reo motas veritati inniti. Terminus constituitur partibus a iudice ut probationes suas ostendant. *Instructio causae* in allegandis *scriptis documentis* consistit quorum valor *scriptis* etiam *argumentis* ostenditur: utraque pars respondet allatis ab adversario. In audientia coram iudice, partes referunt summatim omnia allata et probata et inde deducunt suas *conclusiones* tum *iuris* tum *facti*, unde enascitur discussio quae *informatio* seu *disputatio oralis* dicitur. Haec suppressa est in Rota Romana; « admittitur tamen moderata disputatio ad elucidationem dubiorum » coram iudicibus, « si alterutra aut utraque pars eam postulet, aut tribunal statuat ut eadem habeatur » (1). Debent iudices ex probationibus sibi persuasionem comparare.

Probatio dicitur *directa* quae immediate rem ostendit, sicut titulus emptionis rem emptam probat; *indirecta*, quae *aliam* rem evincit ex qua res intenta sequitur: sic qui probaverit se filium defuncti esse, hereditatem obtinebit. Probatio *plena* fidem facit de re dubia, *semi-plena* non tantam fidem facit ut ex illa sola iudex sententiam possit ferre.

At praeter probationes *proprie tales* quaedam *facta* certitudinem iuridicam habent et ab onere probationis eximunt: sunt quidem *confessio*, *praesumptio*, *notorium*.

A. De factis quae a probationibus dispensant.

De confessione. — (*In Decret. l. II, tit. 18*). Confessio est *asseveratio* seu *assertio eius quod ab adversis intenditur*. Quae potest fieri de tota re controversa et tunc sententia

(1) Lex propria S. Rotae, can. 30.

definitiva ferri poterit; at saepe fit de quibusdam factis allegatis. Breves enim *interrogationes*, quae *positiones* dicuntur, a parte adversa sub auctoritate iudicis *poni* possunt, quibus pars interrogata et a iudice *iussa*, *respondere* debet. His sub assertoria forma referuntur (seu *asseruntur*) facta quae ad causam pertinent v. g.: « Pono quod talem percussisti; pono, quod cum gladio etc. » (1).

Confessio sic facta *in iudicio*, praeiudicat confitenti et dispensat adversarium ab onere probandi, quando *sponte* et *libere contra* ipsum confitentem fit, dummodo is 25 annos natus sit, et confiteatur cum *scientia* rei, non cum *errore*, (scilicet quando assertio eius cum veritate concordat).

Si confessio *extraiudicialiter* fit, aliquando *plenam*, aliquando *semi-plenam* tantum probationem facit. Ut valeat, debet fuisse facta *serio*, cum *scientia* non cum *errore*, absque *dolo*, *metu*, *ira*; sufficit vero ut persona confitens habilis fuerit ad testimonium ferendum (cf. infra ubi de testibus). Et si fuerit facta coram adversario cum expressione causae (v. g. confiteor me debere 100 Titio, ex causa accepti mutui) *plenam* fidem facit; si *sine expressione causae* vel *non praesente adversario*, generatim tantum *semi-plenam*. Factum confessionis extraiudicialis constabit in iudicio per ratihabitionem confitentis vel per legitimam probationem.

De praesumptione. — (*In Decret. l. II, tit. 23*). Definitur: *rationabilis coniectura rei dubiae ex communiter contingentibus*, seu ex argumentis et indiciis collecta quae per rerum naturam frequenter eveniunt.

Distinguitur praesumptio *hominis* (seu *ab homine*) quae a lege quidem non determinatur sed iudicis prudenti arbitrio remittitur; *iuris* (seu *a iure*) si lex ipsa statuit quod aliquod factum habebitur ut certum nec probandum, si alia facta determinata concurrunt: v. g. Titius est parochus, ergo decimae ad ipsum pertinent; et adversarius qui ius ad decimas sibi vindicat, debebit probare sibi titulum ad eas competere. Immo aliquando in lege statuitur prae-

(1) Laur. n. 325, not. 3.

sumptio *iuris et de iure* contra quam non admittitur *directa* probatio contraria at tantum *indirecta:* sic ante Tridentinum et caput Tametsi, si duo sponsi de futuro libere copulam admittebant, habebantur ut matrimonio iuncti nec ulla probatio directa contra valorem, v. g. ex defectu intentionis contrahendi, admittebatur, at tantum indirecta, exstitisse nempe impedimentum dirimens, a voluntate ipsorum non pendens, ut puta consanguinitatem in gradibus prohibitis.

De notorio. — Definitur: *evidentia rei quae nulla tergiversatione celari potest,* ad quam evidentiam requiritur ut factum coram multis patratum et notitia eius in vulgus late sparsa fuerit; rumor vel fama *incertam* tantum de facto cognitionem praebet.

B. De probationibus proprie dictis.

(*Decretales Greg. IX, l. II tit. 19-22 et 24*).

Quando non suppetit *confessio*, *praesumptio*, *notorium,* recurrendum est ad probationes proprie dictas, quae praesertim erunt *inspectio oculoris* vel *sententia peritorum*, *productio testium*, *instrumenta scripta*, *iusiurandum.*

Inspectio oculoris ea est qua iudici de re dubia per ipsam rei intuitionem fides conciliatur. Iudex eam per se aut per alios, maxime per peritos adhibet.

Huic analoga est *sententia peritorum*, v. g. de valore alicuius operis artis, cui tamen sententiae iudex ecclesiasticus non tenebitur adhaerere, si argumentationes peritorum eum non convicerint.

Testium allegationes. — Testis est *persona ad fidem alicuius rei sua asseveratione faciendam vocata. Assertiones* seu *depositiones* huius personae de ea re dicuntur *attestationes* seu *testimonia;* iuridicum testimonium definitur: *solemnis confirmatio alieni facti, sacris verbis roborata et in iudicium prolata ab illis quos causa non concernit.*

Certae *qualitates* ad testimonium in iudicio ferendum

requiruntur; prae ceteris *scientia* et *probitas*. Ob defectum scientiae excluduntur iure naturali et positivo infantes, amentes; ob defectum probitatis iure positivo arcentur infideles, haeretici, apostatae, excommunicati vitandi (tolerati *possunt*, non necessario *debent* admitti), infames et criminosi. Sed insuper, ut *suspecti* arcentur, ob *coniunctionem* cum partibus, ascendentes et descendentes omnes, consanguinei et affines usque ad tertium gradum inclusive, praeterquam in causis matrimonialibus; suspicioni etiam obnoxii sunt amici et inimici, necnon et famuli partium.

Ipsae partes testes adhibent ad ea quae ipsis probare incumbit. Iudex eos admittit, et post praestitum iuramentum (quod tamen in causa *civili* partes remittere possunt), eis quaestiones proponit. Utraque pars, in causa civili, interesse potest testium depositionibus, quae quam exactissime poterit, statim scribuntur, postea testibus a cancellario leguntur et ab his, necnon et a iudice, cancellario, et partibus, si adsunt, subscribuntur.

Ad *plenam* probationem sufficit *unus* testis *qualificatus*, v. g. notarius, asseverans res ex officio a se gestas; medicus vel chirurgus circa qualitatem vulneris inflicti; in defectu testis qualificati regula generalis est quod requiruntur saltem duo testes, omni exceptione maiores, qui clare et cum consensu testimonium reddunt de facto, quod quidem *de scientia* propria, non de *auditu* vel *fama* cognoscunt (1). Dicuntur omni exceptione maiores hi contra quos nulla legitima exceptio moveri potest. Sufficiunt duo testes, nisi ius aliquam specialem exceptionem statuerit.

Productiones testium, sive novorum sive eorumdem, ad tres, aliquando quatuor, limitantur. Testes cogi possunt ad comparendum vel respondendum. Si in alia dioecesi versantur aut in alio loco, comparent coram ecclesiastica auctoritate loci ubi degunt quae eos ad requisitionem alterius iudicis convocat.

Publicatio testimoniorum in hoc consistit quod, partibus depositionibus testium non praesentibus, hae eis a iudice *publi-*

(1) C. 23 X De testibus et attestat. (II, 20).

cantur seu manifestantur, et simul ipsis figitur terminus ad exceptiones proponendas ut testes excludantur: quae exceptiones non admittentur nisi pars probaverit se eas non cognovisse ante illam publicationem.

Instrumenta. — *Lato* sensu hac voce designantur omnes res corporales quibus aliquod factum comprobari potest, etiam arma, vestes etc.; *stricto* sensu *scripturae* sive *publicae*, i. e. a notario confectae, sive *privatae*, a persona nempe privata quacumque forma factae.

Instrumenta *publica* fidem *plenam* faciunt, nisi probetur nullitas ob defectum formae, vel fraus aut error in allegatis. Instrumenta *privata* fidem faciunt contra *subscribentem*, si ipse instrumentum ut *genuinum* agnoscat.

Actor sua instrumenta reo ostendit qui sua ostendere non tenetur, nisi sint *communia*, quorum scilicet communis est proprietas (puta testamentum quo uterque heres declaratur) vel quae sunt de negotio inter utrumque gesto (ut est contractus quilibet).

Iusiurandum in processu canonico ad lites dirimendas usurpatur.

a) Aliquando *defertur uni parti ab altera* cum iudicis assensu; generatim ab eo defertur qui aliquid probare debet nec plene probare potest: ut si Petrus volens probare Paulum sibi summam debitam non solvisse, dicat: « Iura te solvisse », si Paulus iurat, rem evincit et Petrus acquiescere debet. At potest alter vel *legitime* recusare; v. g. nolo iurare quia non recordor quando talem rem emi; vel iuramentum alteri *referre:* « Iura te solutionem non accepisse »; qui ipse aut iurabit et vincet, aut legitimam afferre debebit denegati iuramenti causam, secus condemnabitur.

b) Aliquoties iuramentum *ab ipso iudice* defertur actori vel reo si plene suam assertionem vel exceptionem non probaverit, et tunc nequit alteri *referri:* qui iurat, vincit; qui recusat sine legitima causa, pro confesso habetur et perdit.

N. B. — In criminalibus defertur reo iuramentum *purgatorium*, quando contra ipsam praesumptio, non plena probatio habetur.

III. De consummatione seu decisione causae.

De conclusione in causa. — Cum uterque litigans post allatas probationes suas, ulterioribus probationibus vel allegationibus expresse aut tacite renuntiat, causam iudici definiendam permittunt: dicitur tunc facta *conclusio in causa.* Eam ex officio decernere potest iudex, alterutra aut etiam neutra parte postulante, si fraudem suspicetur. Vicissim etiam post conclusionem documenta nova afferri poterunt, at cum onere probandi haec noviter reperta fuisse (1).

Post conclusionem in causa, partes ad *dicendum* et *allegandum* in *iure* et in *facto* veniunt, i. e. ex probationibus allatis suas conclusiones deducunt vel scripta vel orali disceptatione. Quae disputatio coram S. Rota ex lege propria Constit. « Sapienti Consilio » annexa, ad angustos terminos est redacta (2).

De sententia. — Iudex acta et probata perpendit, sibi iudicium efformat et tunc ad sententiam dicendam accedit. Sententia est *iudicis legitima pronuntiatio super re a litigantibus in iudicium deducta.*

Sententia dicitur *interlocutoria* quando est de quaestionibus in decursu litis emergentibus, v. g. de exceptione admittenda; et, si quando exceptio illa *peremptoria* est, sententia interlocutoria dicitur habere *vim sententiae definitivae,* secus *simplex* dicitur; sententia quae in causa principali fertur, dicitur *definitiva* et instantiam iudicialem claudit, finemque liti imponit ex parte illius iudicii.

Sententia debet esse *certa* et *absoluta, non ambigua* in terminis, *scripto consignata; ex scripto* recitatur a iudice *sedente* pro tribunali, *die non feriato.* Episcopus, aut Officialis, aut iudex delegatus qui sedem determinatam non habet, ubilibet in dioecesi sententiam pronuntiare valet.

Ex lege propria, can. 33, § 3, sententia apud S. Rotam

(1) Lex propria S. Rotae R. can. 27.
(2) ib. can. 30.

lata « lingua latina est conscribenda, et rationes tam in facto quam in iure sub poena nullitatis continere debet ».

Poena ab ipso Iure determinatur, iudex enim de facto tantum inquirit.

Sententia transit *in rem iudicatam* si intra tempus determinatum (decem dierum) nulla appellatio interposita fuerit. Excipiuntur ab hac lege causae matrimoniales circa valorem vinculi, causae criminales si innocens damnatus fuerit, sententiae manifeste nullae aut iniustae: hae nunquam in rem iudicatam transeunt.

Exsecutio. — Sententia tandem exsecutioni mandatur, ad quam exsecutionem iudex potestatem habet. Si in alia dioecesi fieri debet, iudex auctoritatem ecclesiasticam illius dioecesis requirit.

IV. De remediis iuris.

(*Laurentius n. 334 sq.; Bargilliat n. 1520 sq.*).

Si sententia nondum transiit in rem iudicatam, contra eam recurri potest ad remedium iuris *ordinarium,* quod est *appellatio;* secus alia non manent nisi remedia iuris *extraordinaria,* i. e. *querela nullitatis* et *restitutio in integrum,* quae aliquando suppetunt.

A. De appellatione.

Definitio. — Appellatio est *provocatio ab inferiore iudice ad superiorem propter illatum* (vel inferendum) *gravamen.* Proprio sensu *appellatio,* quae est *iudicialis*, fit ob gravamen in iudicio illatum per sententiam *definitivam* vel *interlocutoriam habentem vim definitivae.*

Extraiudicialis fit ob gravamen per *dispositionem extraiudicialem* causatum, ut si quis se laesum existimet ob electionem indigni, ob collationem beneficii factam contra iura quae, ut patronus, habet.

Quis appellare possit. — A SS. Canonibus conceditur ius appellandi omnibus qui ex sententia iudicis gravamen passi sunt vel qui timent ne sibi inferatur, sive victori in lite, sive victo, sive etiam aliis a sententia laesis.

Immo si agitur de re quae publicum bonum tangit, aliquis *ex officio* debebit aliquando interpellare: sic in causa matrimoniali defensor vinculi quando sententia nullitatis matrimonii profertur, item defensor S. Ordinationis vel professionis religiosae, si nullitas declaretur.

Ad quem. — Generatim appellatio *ab uno tribunali* fit ad *tribunal* quod gradu immediate *superius* est; sic a iudice *delegato* ad *delegantem*, ab *Episcopo* ad *Metropolitam*, a *Metropolita* ad *R. Pontificem*. Si Metropolita in prima instantia iudicavit, ab eo etiam ad R. Pontificem appellatur, nisi aliud statuatur, ut in quibusdam regionibus determinatum est: sic in America latina ad viciniorem Ordinarium appellatur (1). A R. Pontifice non datur appellatio proprie dicta, cum sit supremum tribunal. E contra, ob ipsius immediatam iurisdictionem in omnes et singulos fideles et negotia, sicut ad eum causa statim ab initio, sic etiam in prima appellatione deferri potest.

In quibus causis. — In omnibus appellari potest, levioribus vel gravioribus; excipitur tamen 1° sententia *interlocutoria*, nisi habeat vim sententiae definitivae; 2° sententia de re *notoria;* 3° tandem sententiae extraiudiciales pleraeque, contra quas non habetur ius appellationis nisi cum effectu *devolutivo*, quod sapienter a Tridentino fuit institutum, ne disciplina ecclesiastica pessumdaretur: « Nec... ubi de visitatione aut morum correctione agitur, exemptio aut ulla inhibitio, *appellatio* seu querela, etiam ad Sedem Apost. interposita, executionem eorum quae ab his (Episcopis) mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat aut suspendat » (2).

Processus appellationis. — Intra *decem dies* a *recitata* coram partibus *praesentibus* aut a *cognita*, si absunt, senten-

(1) Leo XIII, litt. « Trans Oceanum » 18. Apr. 1897, n. XIV.
(2) Trid. sess. 24, c. 10 de ref.

tia, est appellandum. Interponitur appellatio coram iudice *a quo* sive statim et viva voce: « Appello », sive per libellum intra tempus determinatum deponendum.

Acta omnia transferuntur expensis appellantis ad iudicem superiorem, praemonito iudice a quo, qui iudici superiori notitiam de merito appellationis suppeditat. Is appellanti terminum viginti dierum constituit ut sibi defensorem eligat a iudice approbandum: quod si facere neglexerit, censetur appellationi renuntiasse.

Iudex appellationis videre debet utrum appellatio sit in causa permissa debitisque formalitatibus vestita, et ad forum competens facta. Appellans potest actis processus alia addere argumenta, de eadem tantum causa.

Iudex inquirit, sibi persuasionem de causa efficit, postea sententiam primam vel *confirmat* vel *emendat*. Ad finiendum appellationis processum habet unum annum (biennium, si adsit causa rationabilis et notoria) quod a die appellationis computatur.

Dicuntur *fatalia appellationum* termini hi tres: 1° *decem dierum* ad interponendam appellationem; 2° *viginti dierum*, ut appellans sibi defensorem constituat; 3° *unius anni* (vel *biennii*) ut causa appellationis finiatur.

Si de gravamine *extraiudiciali* agitur, non habetur appellatio proprie dicta, at *recursus* qui eodem fere modo fit, intra decem dies post illatum gravamen.

In libello explicatur cur dispositio extraiudicialis habeatur ut *iniusta* aut *nimis dura*, et petitur *retractatio* aut *emendatio*. Si intra *triginta dies* Episcopus petitioni non accedit, petitur testimonium recursus facti, et quaestio ad iudicem superiorem deferri potest.

B. De remediis extraordinariis.

De querela nullitatis. — Si sententia contenditur invalida esse ob aliquod *vitium substantiale*, v. g. ob incompetentiam iudicis, ob manifestam iniquitatem, proponitur *querela nullitatis* iudici ipsi vel iudici superiori; practice semper

iudici superiori et quidem simul cum appellatione proponetur (1). Si vitium est ex defectu a partibus *sanabili*, decem tantum dies habentur; si defectus est *insanabilis* (v. g. quia sententia est contra jus commune), *semper* proponi potest querela. Actio tamen in nullitatem perimitur praescriptione triginta annorum, ut omnes admittunt.

De restitutione in integrum. — Definiri potest: *actus quo is qui laesum se contendit, per officium iudicis reducitur in eum statum in quo foret, si asserta laesio non contigisset.* Haec non conceditur in causis criminalibus, at tantum in causis civilibus quando agitur de actu *valido* et *rescindibili: valido*, secus declaratio nullitatis est petenda, *rescindibili*, secus frustra petitur restitutio; at potest restitutio obtineri quoad *propositionem causae* ad probandam *nullitatem* vinculi matrimonialis vel professionis religiosae, si iam elapsum est quinquennium a Concilio Tridentino concessum ad reclamandum contra invalidam professionem (2).

Restitutio competit ordinarie *minoribus* (quibus assimilantur *ecclesiae, Instituta ecclesiastica*, nempe *collegia clericorum, hospitalia, monasteria*). At ab ea excluduntur *minores* qui, *iuramento* sponte praestito contractum *firmaverunt*, vel qui, *post* adeptam *maiorennitatem*, *ratum* habuerunt quod in minori aetate egerunt.

Maiorennibus (post vigesimum quintum annum completum) restitutio non competit nisi *laesioni* quam passi sunt adiungatur alia causa, ut puta fraudulenta circumventio.

Restitutionem concedere potest iudex *ordinarius* administrationem habens (3), i. e. qui verum et proprie dictum tribunal habet, ut Episcopus, vel Vicarius generalis, sive contra propriam sententiam sive contra sententiam iudicis inferioris; nequit eam concedere *delegatus* sine speciali mandato, nisi agatur de restitutione incidenter mota in causa principali de qua cognoscit.

Si vero de valore religiosae professionis post quinquen-

(1) Bargill. n. 1536.

(2) Sess. 25, c. 19 De reform. Regularium.

(3) c. g. X De restit. in int. (I. 41); Pirhing., Ius canon. h. tit. n. 61 sq.

nium elapsum agitur, vel de impugnando valore matrimonii post duas sententias successivas conformes, valori faventes, petenda est restitutio a S. Sede.

Tempus ad petendam restitutionem est *quadriennium* quod, pro minore laeso, currit a prima die anni vigesimi sexti aetatis, pro maiore a die laesionis cognitae aut remoti impedimenti quod petitioni obstabat.

Iudex audit alteram partem et, si locus est, restitutionem pronuntiat: tunc omnia restituuntur in statu quo erant ante laesionem factam: debet tamen adversarius indemnis servari, quantum potest.

N. B. — Pro sententiis quae appellationem non admittunt, cuiusmodi sunt eae quae a SS. Congregationibus Romanis dantur, concedi potest *beneficium novae audientiae,* pro causis urgentissimis, ad petitionem partis quae se laesam putat (1).

Tunc iterum proponitur quaestio apud eamdem Congregationem. Apud S. Rotam vero appellationi locus est et in lege propria, can. 12, determinatur constitutio iudicum appellationis (2).

(1) Lega, t. I, n. 655.
(2) Biederlack, Ius eccles. priv. p. 161.

PARS III.

De processu criminali

I. Praenotanda.

I. De iure Ecclesiae. — Existere penes Ecclesiam potestatem coercitivam probatum est in quaestionibus Iuris publici. Haec ceterum sequitur ad potestatem Ecclesiae legiferam: ad efficaciam enim legis requiritur potestas invitos coercendi et noxios reprimendi. Sed ut recte exerceatur coercitio et vitetur arbitrarium, necessarius est ordo iudicialis: inde « ex iurisdictione criminali Ecclesia per legitimum iudicium in foro externo fidelibus etiam invitis ob delicta determinata poenas infligit » (1).

II. De materia iudicii et personis concurrentibus. — Iudicium criminale, sicut et civile, requirit *materiam*, *iudicem*, *reum*, immo et aliquo modo *actorem*. *Causa*, seu *materia* iudicii, est *delictum*, i. e. culpa gravis, externa, suo actori imputabilis, redundans in detrimentum publicum. *Iudex* est, prae aliis, R. Pontifex qui per se vel per alios iudicare potest; hi alii vel iudices delegati erunt vel tribunalia (nunc S. Rota et pro causis fidei vel cum fide connexis S. Officium); — Metropolitae in causis appellationis; — Episcopi

(1) Laurent. v. 343.

et Praelati Nullius in causis primae instantiae suae dioecesis aut quasi-dioecesis (ex mandato speciali Episcopi, Vicarius Generalis, qui censetur unicum tribunal cum Episcopo et a quo directe ad Metropolitam appellatur); — in Ordinibus Religiosis, pro variis Constitutionibus, Capitulum generale, Generalis, Provincialis, Superior localis qui habet iurisdictionem quasi-episcopalem.

Reus est is qui traducitur in iudicium sub inculpatione publici criminis. *Actoris* partes olim suscipiebat *persona privata* quae *accusatorem* vel *denuntiatorem* agebat, nunc eas suscipere solet *persona publica* quae *promotoris* vel *procuratoris fiscalis* nomine designatur. De hac variatione disciplinae aliquid amplius nunc est dicendum, occasione introductionis causae criminalis.

III. De introductione causae criminalis. — In Iure Romano modus ordinarius, immo fere exclusivus, causam huiusmodi introducendi, erat *accusatio*; in Iure Canonico, statim ab initio, viguit etiam *denuntiatio*, quibus duobus modis paullatim accessit *inquisitio.*

Definitur *accusatio:* « criminis alicuius apud iudicem competentem legitime facta delatio ad publicam vindictam » (1). *Accusator* facit causam quasi *propriam,* in *libello* accusationis designare debet crimen et eius auctorem, assumitque *obligationem probandi,* et, si in probatione defecerit, subeundi poenam *talionis*, i. e. eam poenam quam mereretur accusatus pro crimine ipsi imputato. Ob tremendum probandi onus et ex timore poenae subeundae, deterrebantur mali ab accusatione calumniosa, at non raro etiam boni ab accusatione veri delicti, unde multa crimina impunita manebant, non sine notabili boni publici detrimento.

In Iure Canonico praeter *accusationem* habebatur *denuntiatio iudiciaria.* Haec differt a *paterna denuntiatione* (aliter dicta *caritativa, fraterna*) quae fit ad Superiorem ut patrem, ut modo paterno delinquentem corrigat: *denuntiatio iudi-*

(1) Santi, l. V, tit. 1, n. 2.

ciaria est manifestatio alicuius delicti Superiori facta, non assumpto probandi onere nec proinde poena talionis. Haec denuntiatio dicitur *privata* si quis tantummodo propriam indemnitatem vel praeservationem intendit, *publica* si principaliter ad reparationem ordinis publici dirigitur.

Inquisitio tandem est investigatio criminosi, facta *ex officio* a iudice, nullo accusatore vel iudiciali denuntiatore interveniente: non agitur hic de illa inquisitione *generali*, quae est assidua vigilantia auctoritatis, qua crimina praevenire satagit, sed de inquisitione *speciali* quae directe tendit ad detegendos auctores alicuius criminis, et adhuc magis de *specialissima* quae dirigitur contra aliquam personam determinatam de quodam crimine suspectam.

IV. Conspectus historicus disciplinae Ecclesiae in introductione causae criminalis. — Accusatio, quae iustificatur jure naturali, S. Scriptura, praxi Iuris Romani, iam a primordiis Ecclesiae adhibita est simul cum denuntiatione. Causae criminales christianorum ad Episcopos deferebantur qui, forma *simplici, patriarchali,* at *non pure arbitraria* iudicabant; quae forma plus minus quoad substantiam solemnitates ordinis iudiciarii accusationi innixas sequebatur; reis severae imponebantur poenitentiae (1). Data pace Ecclesiae et multiplicato numero causarum quae ab ecclesiasticis iudicibus dirimebantur, accuratius debuit forma iudicii determinari. Adoptata fuit procedura Iuris Romani per accusationem, cuius exemplum praebet causa Eutychetis in Concilio Constantinopolitano sub S. Flaviano habito, et causa eiusdem Eutychetis simul cum Dioscoro in Conc. Chalcedonensi (a. 451) ubi omnes fere Iuris Civilis formalitates observatae fuerunt (2).

Retinuit autem semper Ecclesia denuntiationem, utpote in S. Scriptura clare indicatam (3). Inquisitionis quaedam quasi praeformationes in Iure Romano et in Iure Canonico habentur, « Innocentio tamen III ipsiusque responsis et de-

(1) Cf. Matt. XVIII. v. 15. I Cor. VI; Constit. Apost. l. II, c. 47 sq.
(2) Devoti, Instit. canon. l. IV, tit. I, § V not. 4.
(3) Matt. XVIII 15-18.

cisionibus tribuendum, quod inquisitorius processus suam plene determinatam formam induerit atque inter ordinarios procedendi modos locum definitive sumpserit » (1). Iudex prohibebatur inquisitionem specialissimam in aliquam personam instituere nisi haec *diffamata* fuisset de crimine quodam, quae *diffamatio* quasi locum accusatoris tenebat. Poterat autem vel *ex officio* procedere si ipsi de fama delicti constaret, *vel ad querelam* alicuius privati ipsi famam illam referentis (2). Immo postquam in tribunalibus civilibus, in Gallia (saec. XIII et XIV), in aliis regionibus (saec. XV et XVI), usus alicuius *promotoris fiscalis* invaluit qui ad iudicem deferret nomina reorum, etiam in Iure Canonico inquisitio per aliquam personam publicam provocari potuit quae ex officio famam criminis denuntiaret.

Nunc, post Tridentinum, modus ordinarius procedendi in causis criminalibus est processus per inquisitionem, at persona quaedam publica, nempe *promotor fiscalis*, munus *accusatoris* antiqui fere agit, dempto onere probandi et poenam talionis subeundi, si in probando defecerit. Accusatio, quamvis nulla lege explicite sublata, vix in usu est, et iamdiu in desuetudinem abiit pro accusatore deficiente poena talionis (3).

V. **De prosecutione causae criminalis.** — Introducta causa criminali, iudex eam cognoscere debet ut ad sententiam procedere possit. Duplex generatim loquendo existit forma cognitionis et definitionis causae: alia *solemnis, summaria* altera. Forma *solemnis* iudicii criminalis, quae etiam dicitur *ordinaria,* quia olim communiter adhibebatur, concordat fere quoad omnia cum forma iudicii civilis; adhibebatur post accusationem, vel denuntiationem et, paucis mutatis, etiam post inquisitionem. Formae tamen simplicio-

(1) Bouix, De iudic. eccles. II, p. 128.

(2) In *denuntiatione* habetur libellus, qui in *querela* quae inquisitionem provocat non requiritur, at semper debebat praecedere *fama* delicti quae pro denuntiatione vel accusatione nullo modo requirebatur.

(3) Cf. Wernz, De poenis, p. 79; Laurent. n. 343; Santi, l. V, t. II, n. 2 et alios communiter contra paucos.

res et expeditiores iam a tempore Gratiani, magis adhuc tempore Decretalium Gregorii IX et deinceps inveniuntur: sic habebatur procedura *ex notorio*, quando crimen *notorium* erat, i. e. ita evidens, manifestum, ut celari non posset. Et tunc, relictis fere omnibus solemnitatibus, retenta tamen ad cautelam quadam procedura, statim ad sententiam poterat properari (1).

Nec raro R. Pontifex aliquem iudicem delegans, formam procedendi simpliciorem ipsi praescribebat, ita ut « simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii » (2) agere deberet. In causis criminalibus Regularium, permittebantur Superiores forma simpliciori procedere (3). Clemens V *summarium iudicium*, ut modum regularem et legitimum procedendi in certis causis civilibus introduxit, duo statuens: 1° in quibus causis liceret eo uti sine speciali S. Sedis licentia (4), 2° quaenam formalitates iudicii solemnis vel retineri vel relinqui deberent (5).

Haec forma summaria ad quasdam criminales clericorum causas postea extensa (Conc. Trid. sess. 25, c. 14 De ref., contra clericos concubinarios), nunc ob praesentis temporis conditionem, qua vix non ubique in res et personas ecclesiasticas externam suam actionem exercere impeditur Ecclesia, facta est procedura ordinaria in causis clericorum tam disciplinaribus quam criminalibus. S. Congr. Episcoporum et Regularium modum hunc procedendi accuratius determinavit per Instructionem datam die 11 Iunii 1880.

Haec, quamvis italica lingua conscripta, non tamen declaratur restringi ad Episcopos Italiae (immo Rescripto 14 Ianuar. 1882 fuit expresse concessa Episcopis Galliae); unde a pluribus iudicatur omnibus permissa, quod ceterum inscriptio comprobare videtur; dirigitur enim « Ordinariis locorum, ut formas magis oeconomicas adhibere valeant,

(1) C. II, q. 1, c. 15 sq.
(2) C. 2 De V. S. in Clem. (V. 11).
(3) C. 24 De accusat. (V. 1).
(4) C. 2 De iudiciis in Clem. (II. 1).
(5) C. 2 De V. S. in Clem. (V. 11).

in exercitio suae disciplinaris iurisdictionis super clericis ». De hac igitur procedura, utpote nunc, ex praxi, *ordinaria* et communi, paulo longius est tractandum.

II. De iudicio summario.

(Lega t. IV, P. III, tit. 1-3; Bargilliat, II, n. 1509 sq; Prümmer, I, app. I).

Iudicium summarium, ut procedura propria et distincta introductum a Clemente V, initio pro solis causis civilibus adhibebatur, et pro his quidem quae celerem exigunt solutionem sive ob conditionem litigantium (nempe pauperum, viduarum, extraneorum, Religiosorum), sive ob *periculum spirituale* aut etiam *corporale* ex mora timendum: huiusmodi sunt causae de electione et provisione beneficiorum, de nullitate vinculi matrimonialis, de usuris, alimentis, deposito, mercede, spolio. Formalitates vero sive retinendae sive posthabendae ab eodem Pontifice determinabantur: « Non sic tamen iudex litem abbreviet quin probationes necessariae et defensiones legitimae adhibeantur » hoc enim ipsum Ius naturale exigit. At decernitur: « ut iudex... necessario libellum non exigat, litis contestationem non postulet, tempore etiam feriarum... procedere valeat, amputet dilationum materiam; litem, quantum poterit, faciat breviorem; exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo; partium, advocatorum et procuratorum contentiones et iurgia, testiumque superfluam multitudinem refrenando »([1]).

Forma vero ab Instructione S. C. EE. et RR. 11 Iunii 1880 ([2]), cum additamentis 26 Mart. 1886, adhiberi *potest* in causis sive disciplinaribus sive criminalibus clericorum. Cum multa in Instructione illa non explicite indicentur, prae oculis habendum est in dubiis id quod in art. X commemoratur: « servatis... semper regulis iustitiae substantialibus ».

([1]) C. 2 De V. S. in Clem. (V. 11).

([2]) Invenitur haec Instructio in Actis S. Sedis t. XIII et in Append. apud Santi, t. I, Prümmer, etc.

De praecavendis delictis. — Quia multum praestat delicta praecavere quam reprimere, Instructio graviter Episcopos monet de officio « invigilandi super suorum subiectorum mores et utendi remediis canonicis sive ad praecavendas sive ad corrigendas deordinationes » (art. 1). Inter media praecavendi mala « potissimum accensentur *exercitia spiritualia*, *monitiones* et *praecepta* » (a. II). Usus istorum mediorum iam praesupponit aliquam clerici deordinationem, non ita gravem ut iudicium exigat. Unde adhibenda non sunt nisi post summariam verificationem facti, cuius notitia ad Episcopum per denuntiationem, diffamationem, querelam delata est. Haec verificatio facti extraiudicialiter fit, parcendo famae accusati. Si accusatio *vera* detegitur aut saltem suspicio *fundata* apparet, ad *canonicas* monitiones potest procedere Episcopus « vel in forma *paterna* et secreta (etiam per epistulam aut interpositam personam) vel in forma *legali*, ita tamen ut de earum executione constet ex aliquo actu » (a. VI). In forma legali generatim auditur incriminatus, ipsi communicantur accusationes et, si videbitur, probationes, nomina et depositiones testium.

Si frustra adhibitae fuerint monitiones, intimatur delinquenti *praescriptum* « in quo declaratur quid eidem agendum aut omittendum sit » v. g. ne talem domum adeat, vel ut officia divina pie et rite obeat, et simul additur praecepto « *comminatio* respondentis poenae ecclesiasticae quam incurret in casu transgressionis » (a. VII). Quod praeceptum intimatur a cancellario curiae episcopalis coram Vicario generali vel duobus testibus, et « subscribitur actus a partibus praesentibus, quin et a praevento, si velit » imposita testibus, si videbitur, obligatione secreti (a. VIII).

Si ulterius procedendum erit, poterunt Episcopi formam sequi in Instructione sequentibus articulis tradita; monentur tamen non inde ipsis prohiberi recursum ad formam solemnem vel ad sententiam suspensionis ex informata conscientia, si casus ferat (a. IX) (1).

(1) De sent. ex inf. consc. cfr. infra, p. 109 sq.

De introductione et instructione causae. — Omni meliori modo adlaborandum est ut veritas detegatur et vel culpa vel innocentia clerici eruatur. Ad haec dirigitur inquisitio *iudicialis* quae fit ante convocationem rei ut mediis legalibus de facto constet, probationes habeantur. Et processus is informatorius « confici potest ab aliquo viro ecclesiastico probo et idoneo cui assistat actuarius » (a. XII). Factum criminosum probandum est per consueta media, authenticas informationes, confessiones extraiudiciales, testium auditiones, quae eam iuridicam probationem constituant « qua vel facti veritas omnino evidens sit, vel ea habeatur moralis certitudo, quae prudens dubium omnino excludat » (a. XVI).

Tunc *ad examen* vocatur reus et « in citatione, nisi obstet prudentia, proponi ei debent per extensum accusationes adversus eum intentae, ut se praeparare valeat ad respondendum » (aa. XX et XXI). Si iudicio se sistere renuat, iterum convocatur, statuto termino *peremptorio* simulque monetur quod, si adhuc obedire renuat, habebitur ut contumax. Si compareat, auditur in examine, et attente considerantur quae ad sui defensionem respondere valet.

Proceditur dein ad *contestationem facti*, i. e. « per formalem accusationem significatur accusato et factum criminosum de quo postulatur et probationes quibus innititur accusatio » ([1]). Se defendere statim potest vel terminum postulare, eligitque in defensorem virum laicum vel ecclesiasticum ab Ordinario approbandum. Si ipse neminem elegerit, deputabitur defensor ex officio. Postquam is notitiam attente hauserit Actorum necnon et *restricti* (i. e. *compendii* processus et conclusionum eius essentialium, quod causae instructor conficere debuit) (art. XXIX), transmittuntur haec Acta promotori seu procuratori fiscali qui iuxta art. XIII « in quacumque curia episcopali adesse debet ad iustitiae legisque tutelam ».

De causae conclusione. — Episcopus diem statuit pro causae *disceptatione* quae fit « coram Vicario generali, ad-

([1]) Lega, IV n. 317.

stantibus procuratore fiscali, defensore et cancellario » (aa. XXXIII et XXXIV). Auditis tum *voto* procuratoris fiscalis, tum *deductionibus* (i. e. responsionibus, excusationibus) defensionis, pronuntiatur *sententia*, cuius partem dispositivam *ex dictato* scribit cancellarius, cum expressa mentione *sanctionis*, si accusatus damnatus fuerit.

Hic intra decem dies appellare potest, secus sententia executioni traditur. Si appellaverit, omnia causae Acta (processus, restrictum, defensio, sententia) ad iudicem superiorem deferuntur qui appellanti terminum viginti dierum constituit ut sibi defensorem ab ipso approbandum constituat. In causa appellationis post processum summarium mota debet iudex superior eamdem formam processus adhibere (a. XLII).

Instructio tandem ultimo loco casum considerat quo clericus, contra privilegium fori, de crimine communi apud laicum iudicem accusatus et traductus fuerit; Ordinarius tunc inquiret modo summario de facto criminoso et de poenis forte incursis, at prudenter abstinebit a iudicanda causa, et sese in remediis provisoriis continebit, v. g. ea statuens quae interim ad bonum animarum necessaria erunt. Iudicio dein absoluto et accusato liberato, curia episcopalis procedet ex informationibus prius habitis, « et quidem iuxta modum in hac Instructione praescriptum » (art. XLIII).

Scholion. De praescriptione delictorum in causis criminalibus. (*Lega, t. IV, n 187 sq. Aichner, Compend. Iuris eccl. § 221 Schol.*).

Si elapsum fuerit tempus a lege determinatum quin alicuius delicti reus in iudicium vocatus fuerit, *poterit* postea invocare pro se praescriptionem; quod si eam non invocaverit, valebit iudicium contra ipsum institutum. Si praescriptio invocata legitima recognoscitur, tunc perimitur *actio criminalis*, i. e. nequit de crimine vindicta sumi ob ordinem publicum laesum, non perimitur tamen *actio civilis*, et manet reus reparationi obnoxius ob damnum forte aliis illatum. Immo non tollitur *exceptio*, vi cuius potest repelli reus ab ecclesiastica provisione.

De regula generali tempus necessarium ad praescribendum est *unius anni* pro actione *iniuriarum*, *quinque* annorum pro *delictis carnis ordinariis, viginti* annorum continuorum pro *ceteris delictis*; immo *atrociora* quaedam crimina, veluti parricidium, haeresis, simonia, *nunquam* praescribuntur.

Haec omnia de quibus olim inter auctores disputabatur, nunc definita sunt in Decreto S. C. EE. et RR. 22. Mart. 1898 cum approbatione Summi Pontificis edito.

PARS IV.

De sententia ex informata conscientia

(*Lega, t. IV, tit. VI*; *Wernz, De poenis p. 131 sq.*; *Bargilliat, t. II, n. 1514 sq.*; *Laurentius n. 347 sq.*; *Pallottini, Pugna Iuris pontificii statuentis suspensiones extraiudicialiter... et Imperii easdem abrogare molientis*).

I. De natura et origine huius sententiae. — Sententia *ex informata conscientia* est remedium *extraiudiciale* et *extraordinarium* quo Superior ecclesiasticus *prohibet ascensum* ad Ordines superiores vel *suspendit clericum a ministerio* suo, ob delictum occultum, nulla praemissa iuridica informatione, nullo ordinario processu, at ex causis sibi notis et in conscientia perpensis.

Iure antiquo, in Decreto Gratiani expresso, et Iure Decretalium, in neminem ferri potuit sententia nisi in convictum aut sponte confessum: inde etiam nemo, nisi iudicialiter de crimine convictus, arceri poterat a suscipiendis Ordinibus aut ab exercendis Ordinibus aut officiis iam acceptis. Hinc regula ab Alex. III (1159-1181) stabilita, in Decretalibus Greg. IX admissa, quae in Summario capitis quarti De temp. ordin. et qual. ordin. (I. 11), sic compendiatur « Criminosus occultus moneri potest ne promoveatur ad Ordines, sed prohiberi non potest ». Is enim, ut in capite statuitur,

post dignam poenitentiam sui delicti, in suo gradu quidem retinetur, at monendus est ut, eo contentus, ad Ordines superiores non adspiret; « verumtamen, quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere ».

Intacta mansit facultas Praelatis regularibus a Lucio III (1181-1185) concessa, suis subditis quorum « commissa secreta noverint », i. e. occulta delicta quibus Ordinibus indigni reddebantur, promotionem ad Ordines denegandi (1).

Concilium Tridentinum, in sess. 14 de ref. c. 1, abrogato favore ab Alex. III concesso clericis criminosis occultis, dispositionem Lucii III, hucusque ad Superiores et subditos *regulares* restrictam, ad Praelatos et clericos *saeculares* extendit. Addidit vero prorsus novam dispositionem, nempe ut clerici per competentes Praelatos ab Ordinibus vel officiis ecclesiasticis iam susceptis ob occultum crimen *suspendi* possent.

Prohibitio vero et suspensio ita rigorose sustinentur ut a nemine, contra voluntatem Praelatorum relaxari possint: unde praeter Praelatum qui eas decrevit, solus S. Pontifex eas tollere potest.

II. De honestate et convenientia huius dispositionis.

Hanc Concilii Tridentini dispositionem acriter impugnaverunt Acatholici et Iansenistae, quasi arbitrario et iniustitiae latam panderet ianuam.

At 1° falso supposito innituntur impugnationes illae: nam *a*) impossibile non est crimen certo cognoscere extra processum iudicialem; « ex natura rei non requiritur ut omnes et singulae poenae non nisi post processum iudicialem rite institutum infligantur, secus omnes poenae a patrefamilias inflictae, imo quamplurimae in ordine militari et civili statutae, plane iniustae essent dicendae: Ordo enim iudi-

(1) C. 5 h. t. (I. 11).

ciarius in istis poenis decernendis non servatur (1) »; periculum vero iniustae et arbitrariae damnationis sufficienter cavetur per recursum semper patentem ad S. Sedem.

b) subditus non periclitatur iuribus suis. Quodnam enim ius habet ad promotionem vel exercitium Ordinum, qui crimina occulta commisit quae ipsum tanto ministerio indignum reddunt? periculum infamiae aliter poterit impediri et tandem, si non omnino vitari potest quaelibet suspicio, sibi ipsi eam imputare debet. Imo in ipsius potius favorem vergit, quod Episcopus eo modo eum arcens, non teneatur omnia possibilia media procurare ut crimen detegatur et reum publice convictum damnare et arcere possit.

2° argumento auctoritatis probatur convenientia et honestas dispositionis tridentinae: nam plane concors videtur cum antiquiori Ecclesiae disciplina; iuxta sententiam enim valde probabilem, saltem quaedam graviora peccata (idololatria, homicidium, fornicatio, vel cum his connexa) subiiciebantur *per se* poenitentiae publicae, etsi occulta mansissent: (hanc sententiam tenent Natalis Alexander, Petavius, Thomassinus, Morinus et alii) (2). At qui poenitentiae publicae subiectus fuerat, arcebatur ab Ordinibus vel suscipiendis vel exercendis, iuxta praxim inde a saeculo IV vigentem (3). Si postea mitior invaluit praxis, qua et poenitentia publica exolevit et qui graviorum peccatorum etiam publicorum reus fuerat, ut simoniae vel incontinentiae, post debitam satisfactionem, restitui potuit, haec mutatio nullo modo arguit iniustitiam antiquioris disciplinae at accommodationem debilitati et infirmitati humanae.

Ceterum sufficit viro catholico quod potestas illa fundetur lege ecclesiastica universali cui, ut constat ex principiis dogmaticis, nihil inesse potest fidei bonis moribus ipsisque sanctionibus iuris naturalis contrarium (4). Confirmatur

(1) Wernz, De poenis, p. 138; cf. Pallott. l. c. cap. 5, art. 1.

(2) Cf. Lega, IV, n. 386.

(3) Cf. c. 55, 60, 66, D. 50; c. 18, C. 1, q. 1; Phillips, Kirchenrecht, t. I, § 54.

(4) Wernz, t. I n. 92, Suarez, De legibus, l. IV, c. 6, n. 22.

ex constanti praxi S. C. Concilii. Accessit tandem solemnis declaratio Pii VI contra Pistorienses, qua declaratur propositio, « quae damnat ut nullas et invalidas suspensiones *ex informata conscientia:* — falsa, perniciosa, in Tridentinum iniuriosa » (1).

III. De causa, obiecto et subiecto.

Causa cur talis sententia pronuntietur, debet esse delictum *grave* et *occultum*: 1° *grave* quidem ob gravitatem ipsius poenae; et consentiunt Doctores, innixi cap. 4 et 5 De temp. ordin. (I. 11) unde desumptum est c. 1 sess. 14 Conc. Trid.; etiam ex Instructione S. C. de Prop. Fide, 20 Oct. 1884 quae, pro locis missionum normas quasdam tradens pro exercitio potestatis ferendi sententias *ex inf. consc.*, semper gravia delicta considerat (Cf. Collectanea 1, n. 1009);

2° *occultum*, quod sic intelligi debet « *a*) illud quod in foro externo nec probari nec condemnari potest; *b*) illud quod, licet legitimis probationibus possit demonstrari, tamen id fieri non possit absque fidelium scandalo et maiori clerici ipsius delinquentis detrimento » (2). Id insuper statuitur in dicta Instructione et est nunc certum ex praxi et declarationibus S. Cong. Concilii (3). Sufficit tamen, si plura sint delicta, ut unum sit occultum, quod si forte postea publicum evaserit, manet sententia.

Obiectum. — Extenditur potestas Praelatorum: 1° ad *arcendos* subditos ab *accipiendis* Ordinibus; 2° ad *suspendendos* clericos a suis *Ordinibus* seu *gradibus* vel *dignitatibus* ecclesiasticis. « Ei, cui ascensus ad sacros Ordines a suo Praelato, ex *quacumque causa etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extraiudicialiter* fuerit interdictus; aut qui a suis *Ordinibus*, seu *gradibus* vel *dignitatibus* ecclesiasticis

(1) Denz-Bann. n. 1549; prop. 49 Syn. Pistor.
(2) Santi, l. V, tit. I, n. 18.
(3) Cf. Lega, l. c. n. 396.

fuerit suspensus, nulla... restitutio suffragetur (1) ». Constans et perpetua S. C. Concilii sententia fuit, teste Benedicto XIV De Syn. dioec. l. XII, c. 8, n. 3, facultatem factam a Trid.' procedendi extraiudicialiter et ob delictum occultum non restringi ad *coercitionem* ab *Ordinibus suspiciendis* sed extendi ad *suspensionem* ab *Ordinibus* vel *officiis* iam *susceptis* (2).

Cum autem versemur in *odiosis*, nequit extendi potestas ad alias poenas in textu non expresse contentas, v. g. ad *interdictum*, *carcerem*, *suspensionem* a *beneficio* aut fructibus beneficii, (nisi *indirecte*, quatenus debebit suspensus stipendium solvere vicarii seu oeconomi sibi substituti) (3). Suspensio *perpetua*, ex praxi hodierna S. C. Conc., non permittitur: videtur enim aequivalere privationi officii, et gravior esse quam ut summarius saltem processus non praecedat (4).

Subiectum *activum* sunt *Praelati* sive *Praepositi*: quo nomine intelligendi videntur omnes *Ordinarii* (5), i. e. imprimis *Episcopi*, quos specialiter spectabat Tridentinum, *Praelati* regulares quibus facultas haec iamdiu competebat saltem quoad exclusionem a suscipiendis Ordinibus, *Vicarii Apostolici*, *Praelati Nullius*, imo probabiliter *Vicarius capitularis* qui in iura Episcopi succedit nisi exceptio statuatur, quae in casu saltem explicite et expresse non habetur. Propter controversiam tamen consultius ea non utetur. At *Vicarius generalis* indiget *speciali* mandato Episcopi (6).

Subiectum passivum sunt 1° *laici* quoad *promotionem* (7); 2° *clerici regulares et saeculares* quoad utramque dispositionem Tridentini; imo et 3° *Regulares* etiam relate ad Episcopos qui eos suspendere possunt ab audiendis confessionibus ex causa confessiones concernente.

(1) Trid. sess. 14, c. 1. De ref.
(2) S. C. Conc. 24 Nov. 1654; Cf. Lega l. c. n. 389-90.
(3) Lega l. c. n. 400; Wernz, De poenis, p. 144.
(4) Lega, n. 402.
(5) Cf. Instr. S. C. de Pr. F. passim.
(6) Wernz, l. c. p. 141, not. 1.
(7) Wernz, De poenis, p. 142; Lega, etc.

IV. De modo procedendi in ferenda sententia ex inf. consc.

Plures traduntur normae in citata Instruct. S. C. de Prop. F., quae, etsi Ius *commune* per se non constituunt, at tantum ius particulare regionum huic S. Cong. subiectarum, perspectissimae sunt prudentiae regulae et fere quoad omnia innituntur praxi S. C. Concilii.

Cum sententia ex inf. consc. sit remedium *extraiudiciale* et *extraordinarium*, non requiruntur ullae formae iudiciales nec canonicae admonitiones. At, ut patet, servandum est Ius naturale et leges prudentiae, adhibendaeque sunt omnes cautelae quae rerum veritati detegendae natae sunt. Non ergo sufficit intima persuasio Praelati, sed debet delictum ipsi esse probatum ex rationibus de se aptis ad probandum etiam aliis. Informationes colliget Episcopus extraiudiciales et secretas quae tales sint, ut possit, in casu recursus rei ad S. Sedem, suam probare sententiam.

Immo non prohibetur Episcopus adhibere in toto vel in parte formalitates iudicii vel ordinarii vel summarii, at debebit exprimere in sententia se agere vi capitis 1 sess. 14 Concilii Tridentini. Haec sententia, iuxta communem praxim, quam Instructio citata, pro Missionum locis obligatoriam reddit, *scripto* fit, et clare exprimit *a quo Ordine* vel *officio* et *ad quod tempus* suspendatur reus; non tamen tenetur Episcopus ipsi manifestare scripto vel viva voce causam vel motiva sententiae.

Si processu canonico reus fuerit *convictus* et *condemnatus* et *appellaverit*, nequit Episcopus, pendente appellatione, eum suspendere *ex inf. consc.*; at contra, si in *iudicio absolutus* fuerit et tamen constet extraiudicialiter Praelato de eius culpabilitate, poterit illum suspendere ex informata conscientia.

Ab hac sententia Praelati non datur *appellatio proprie dicta* nec in *devolutivo*, at manet semper *aditus* seu *recur-*

sus ad S. Sedem cum effectu tantum *devolutivo*; unde si interim appellans violaverit suspensionem, incurret irregularitatem (1). Praelatus contra quem recursus fuit interpositus, debebit S. C. Concilii aequitatem suae sententiae probare: raro quidem felicem exitum habuit recursus contra Episcopum prohibentem *ab Ordinum susceptione*, at non infrequenter cassata est *suspensio* vel ob defectum probationum sufficientium, vel quia delictum occultum non fuerat et proin via iudiciali, non autem remedio illo extraordinario, uti debuisset Praelatus.

(1) S. C. C. 21. Iun. 1625.

A. M. D. G.

INDEX

DE PERSONIS.

De Statu Clericali et sacra Ordinatione.

De Statu laicali et clericali . . . . . *Pag.* 3
De ministro validae et licitae Ordinationis . . . . . » 6
De subiecto validae et licitae Ordinationis . . . . . » 10

De Statu Religioso.

I. De Status Religiosi natura . . . . . » 15
II. De variis Institutorum Religiosorum speciebus.
A. De diversis votis et duplici professione . . . . . » 16
B. Conspectus historicus de Statu Religioso . . . . . » 18
C. Variae divisiones Status Religiosi . . . . . » 22
III. De Institutorum approbatione et conventuum erectione.
A. De Institutorum approbatione, innovatione, exstinctione » 26
B. De conventuum erectione, innovatione, exstinctione . » 29
IV. De Religiosorum exemptione.
A. De notione, historia et utilitate exemptionis . . . . » 31
B. De habitudine variorum Institutorum ad Episcopos. . » 33
C. De iuribus Episcopi in Religiosos exemptos . . . . » 34

DE REBUS.

De bonis ecclesiasticis.

I. De acquisitione bonorum temporalium ab Ecclesia.
Praenotanda . . . . . » 37
A. De iure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia . . . . . » 40
B. De effectibus acquisitionis ab Ecclesia . . . . . » 42
C. De subiecto dominii bonorum ecclesiasticorum. . . . » 44
II. De administratione bonorum ecclesiasticorum . . . . . » 47
III. De alienatione bonorum ecclesiasticorum . . . . . » 49

De locis sacris.

A. De ecclesiarum aedificatione et reparatione. . . . *Pag.* 55
B. De ecclesiarum consecratione et reconciliatione . . . » 58
C. De ecclesiarum immunitate. . . . . » 61

De Caemeteriis et sepultura ecclesiastica

A. De caemeteriis . . . . . » 63
B. De sepultura . . . . . » 66

DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS.

Praenotiones. De existentia et ambitu potestatis iudicialis Ecclesiae » 71

Pars I. **Notiones generales de iudiciis.**

I. De iudiciis et personis ad iudicia concurrentibus.

A De natura et speciebus iudiciorum . . . . . » 75
B De iudice . . . . . » 76
C De his qui sunt partes vel aliter iudiciis intersunt . . » 78
II. De iudiciorum ordinatione et foro competente . . . . . » 81

Pars II. **De processu litigioso civili.**

Praenot. De extraiudiciali litis compositione . . . . . » 85
I. De introductione causae.
De oblatione libelli, citatione, exceptionibus, litis contestatione . . . . . » 86
II. De prosecutione causae per probationes.
A. De factis quae a probationibus dispensant: de confessione, praesumptione, notorio . . . . . » 88
B. De probationibus proprie dictis: de inspectione, testibus, instrumentis, iuramento . . . . . » 90
III. De consummatione seu decisione causae.
De conclusione in causa, sententia, exsecutione . . . . » 93
IV. De remediis Iuris.
A. De appellatione . . . . . » 94
B. De querela nullitatis et restitutione in integrum . . . » 96

Pars III. **De processu criminali.**

I. Praenot. De potestate Ecclesiae . . . . . » 99
De introductione causae per accusationem, denuntiationem et inquisitionem . . . . . » 100
II. De iudicio criminali summario . . . . . » 104
De praecavendis delictis . . . . . » 105
De introductione, instructione et conclusione causae. . . » 106
Schol. De delictorum praescriptione . . . . . » 107

Pars IV. **De sententiis ex informata conscientia.**

A. De natura et origine harum sententiarum . . . . . » 109
B. De honestate et convenientia . . . . . » 110
C. De causa, obiecto et subiecto. . . . . » 112
D. De procedura sequenda. . . . . » 114

348.71
R525
RIVET,L
5990
AUTHOR
Institutiones.. Privati
Supplementa
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
NOV 7 1986

5990